PH 4417
.H4
Copy 1

QUAESTIONES SOPHOCLEAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOSOPHICA

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

CONSENSU ET AUCTORITATE

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

RITE IMPETRANDORUM CAUSA

DIE XXIX. MENSIS IULII A. MDCCCLXI.

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ARNOLDUS HENNING

GEDANENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

A. HARRASS, SEM. PHILOL. SOD.
J. FOERSTEMANN, SEM. PHILOL. SOD.
C. MEYER, PHILOL. STUD.

HALIS SAXONUM
FORMIS PLOETZIANIS.

[1861.

PA4417
.H4

Dr. L. WIESIO

BORUSSORUM REGIS AB INTIMIS CONSILIIS

GRATUM ANIMUM PARVULO HOC LIBELLO

PIE TESTATUR

ARNOLDUS HENNING.

Sophoclis Oedipi Regis loci, quos tractandos suscepi, sunt hi:

9 seqq. — 31 seqq. — 133 seqq. — 140. — 227. — 230. — 329. — 795. [1])

Versus 9 seqq.

ἀλλ', ὦ γεραιέ, φράζ', ἐπεὶ πρέπων ἔφυς
πρὸ τῶνδε φωνεῖν, τίνι τρόπῳ καθέστατε,
δείσαντες ἢ στέρξαντες; ὡς θέλοντος ἂν
ἐμοῦ προσαρκεῖν πᾶν· δυσάλγητος γὰρ ἂν
εἴην, τοιάνδε μὴ οὐ κατοικτείρων ἕδραν. —

ab interpretibus nondum satis esse intellectos neque explicitos et ea quam tribuunt verbo q. e. *στέργειν* significatio petendi, cupiendi, orandi et interrogationis signum post illud *στέρξαντες* positum arguunt. Itaque videndum est, qua ratione ad bene hos versus intellegendos et recte interpretandos via possit muniri. Qua in re duae res haud parvi momenti esse mihi videntur, quibus expositis probatisque omnia optime procedent.

Ac primum nego vel Sophoclem vel omnino Graecae tragoediae principes verbo q. e. *στέργειν* ita usquam usos esse, ut petere, cupere, orare, immo ubique, ut aut amare et diligere, aut acquiescere significaret.

Septies enim decies si hunc locum excipias, apud Sophoclem legitur verbum q. e. *στέργειν*, qui numerus in singulas tragoedias hoc describitur modo: [2]) ter Antig. 277. 292. 539. — bis Oed. R. 1023. 1338. quibus adde 229. — bis Ai. 212. 1039. adde 776. — quater Trach. 280. 486. 577. 993. (1138). — bis Phil. 458. 538. — quater Oed. Col. 7. 519. 1094. 1529.

Singulorum horum locorum interpretatione supersedeo praeter unum locum Oed. Col. 1094. cuius de explicatione in varias discedunt sententias interpretes. Sed qui verba attente consideraverit, verbum q. e. *στέργειν* a precandi significatione vindi-

[1]) Numeri sunt ex G. Hermanni editione tertia, quae Lipsiae prodiit A. MDCCCXXXIII. — [2]) Sophoclis tragoediae rec. instr. Godofredus Hermannus: Antigona ed. tert. 1830. — Aiax ed. tert. 1848. — Electra ed. sec. 1825. — Trachiniae ed. alt. 1848. — Philoctetes ed. sec. 1839. — Oedipus Coloneus ed. sec. 1841.

canti mihi assentietur etiam hoc loco: neque enim dubium est, quin vertendum sit: „Et in venatoris Apollinis et sororis variegatorum venatricis celeripedum cervorum auxilio acquiesco: quippe quorum utrumque huic urbi et civibus succursurum esse mihi persuasum sit.“ Ceteris locis omnibus propriam illam verbi q. e. *στέργειν* vim in dubitationem nemo vocavit.

Iam apud Aeschylum[3]) *στέργειν* his obviam fit locis: Prometh. 11. (492. 897.) — Sept. adv. Theb. 712. 717. — Suppl. 273. — Agam. 1570. (499). — (Choeph. 241. —) Eumen. 673. 911. 970. (192). octies.

Denique apud Euripidem[4]) verbum q. e. *στέργειν* his invenitur locis [vicies]: Hecub. 789. — Orest. 1023 seqq. — Phoeniss. 1685. — Med. 88. 635. — Hippol. 458. 461. (256). — Androm. 180. 214. 469. 907. — Suppl. 257. — Iphig. A. 502. — Helen. 1289. 1401. — Jon. 817. — Hercul. fur. 711. 1342. — Electr. 407. 1102.

Ex his locis apparet tres Graecae tragoediae principes verbo q. e. *στέργειν* ita usos esse, ut, cum Aeschylus nisi amandi diligendive vim ei non tribueret, et Sophocles et Euripides ad Aeschyleam eamque propriam non tam novam quam propinquam acquiescendi adicerent significationem, petendi autem, cupiendi, orandi in omnium quos attuli locorum nullum quadrare.

Altera deinde res, quam ad intellegendum explicandumque hunc locum non minoris esse auctoritatis puto, haec est. Censeo deletum interrogationis post illud *στέρξαντες* signum post vocabulum demum v. 12. quod est *πᾶν* ponendum esse, ne tali vinculo quamvis externo impediamur, quominus verba illa *δείσαντες ἢ στέρξαντες* a sequentibus quae sunt *ὡς θέλοντος ἂν ἐμοῦ προσαρκεῖν πᾶν* separari non posse uno adspectu perspiciamus.

Itaque propono hanc versuum interpretationem: „O liberi, Cadmi illius vetustissimi recens progenies, cur tanto studio hic sessum venitis[5]) supplicibus ramis instructi? urbs autem suffitibus referta est, simulque hymnis et gemitibus; quae ego a nunciis, liberi, aliis audire nolens ipse huc veni, sc. ut cur tanto studio hic sessum veniatis audiam:

ἀλλ', ὦ γεραιέ, φράζ', ἐπεὶ πρέπων ἔφυς
πρὸ τῶνδε φωνεῖν, τίνι τρόπῳ καθέστατε,

---

[3]) Aeschyli tragoediae recogn. praef. est Guil. Dindorfius, ed. quart. Lips. ap. Teubner. 1860. — [4]) Euripidis tragoediae ed. Aug. Witzschel, Lips. apud Bernh. Tauchnitz. 1855—56. III voll. — [5]) Cfr. Hermann. commentat. ad v. 2.

δείσαντες ἢ στέρξαντες ὡς θέλοντος ἂν ἐμοῦ προσαρκεῖν πᾶν; δυσάλγητος γὰρ ἂν εἴην, τοιάνδε μὴ οὐ κατοικτείρων ἕδραν.

„Sed, o senex, dic, cum te prae ceteris loqui deceat, qua ratione i. e. in qua animi condicione versantes, quo animo [6]) adstetis, timentes [7]) aut acquiescentes in eo, quod me propenso ad opitulandum animo fore existimatis? quae opinio vestra recte se habet, nam inhumanus ego sim, quin talis sessionis misericordia movear."

Reliquum est ut pauca dicam de singulis interpretum explicationibus, quo melius meam et novam et necessarium interpretationem esse intellegatur. Itaque ut eos praetermittam, qui alterius lectionis quae est *στέξαντες* patrocinium susceperunt, Brunckius illud *στέρξαντες* male a scholiasta expositum per *παθόντες* esse ratus, *στέργειν* hic valere ait petere, cupere, orare, ut Oed. Col. 1094., ut ejus quam negavi significationis auctor ille verbo fuisse videatur. Vertit autem: „quare, quamobrem supplices hic sedetis, utrum quia metuitis an quia auxilium desideratis?" Brunckium et alii secuti sunt et Eduardus Wunderus, cujus quarta editio Oedipi Regis Gothae et Erfordiae prodiit A. MDCCCLVI. Qui magistrale supercilium proferens aliquanto cupidius extra scholae parietes quantaque solet fiducia [8]) officio interpretis ita fungitur: Existimans enim, Oedipum id, quod v. 2. quaesiverit, repetere et verbis quae sunt *δείσαντες ἢ στέρξαντες* additis accuratius explicare, duplici, inquit, causa commoti supplices accedere ad aras poterant, aut ut vim adversarii persequentis defenderent, ergo praesentis periculi metu adducti (*δείσαντες*) et tutelam quaerentes, aut ut ipsi ope ejus, ad quem confugiebant, adiuti adversarium aggrederentur, ergo malum, quod futurum putabant, oppugnaturi et ad eam rem auxilium petentes (*στέρξαντες*) cett. Denique Frid. Ellendtius in lexic. Sophocl. v. *στέργω* hanc praebet interpretationem: „Hoc quaerit Oedipus: num metum vestrum an desideria mecum communicaturi adestis?" — Sed ex interpretatione mea intellegitur, tantum abesse ut versu 10. repetitionem accuratioremque explicationem secundi versus contineri credam, ut novam plane absque illa diversam quaestionem in eo inesse per-

[6]) Vid. v. 99.; et quae exempla ad hunc locum afferunt interpretes. — [7]) Cfr. v. 89. — [8]) Sunt G. Hermanni verba in praef. Philoct. ed. sec. p. 18. quibuscum conferas ejusdem et praef. ad Oed. Col. edit. sec. pag. 6. et praefat. ad Trachin. ed. alt. p. 14 seqq.

suasissimum mihi sit. Ipse enim Oedipus non ignorat, id quod ex verbis quae sunt *ἱκτηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμμένοι*; *πόλις δ' ὁμοῦ μέν θυμιαμάτων γέμει, ὁμοῦ δὲ παιάνων καὶ στεναγμάτων* facile colligitur, anxios eos atque supplices ad aras accedere. Itaque si eo quem illi volunt, sensu verba illa *δείσαντες ἢ στέρξαντες* addidisset Oedipus, inepte eum locuturum fuisse nemo non videt. Iam apparet Brunckium, Wunderum, Ellendtium quasi quandam tautologiam quam dicunt in se admisisse, quae propter coniunctionem disiunctivam quae est ἤ tolerari non possit. Nam qui metu adductus ad aram accedit, eum tutelam et auxilium petere per se patet: additamentum igitur q. e. *ἢ στέρξαντες* vanum est et supervacaneum. Deinde manifestum est triumviros illos pro aoristi *στέρξαντες* forma certe futurum *στέρξοντες* scribere debuisse, quamquam ne minime quidem tautologiam quam dicunt eo tolli ingenue mihi fatendum est. Denique in verbosa illa interpretatione, quae de praesenti (*δείσαντες*) et futuro (*στέρξαντες*) periculo defendendo scripta esse videtur, Wunderus duobus illis tribusve vocabulis obtrusit, quae in eis inesse nemini umquam persuasum iri sperem. Praeterea praesens et futurum periculum adeo tamquam coaluerunt, ut ubi suus utrique finis sit vix cognoscatur. Nam hoc loco qui ad Oedipi aras accedunt, praesentem atque imminentem pestem pariter metuunt, nec minus in praesentem quam futuram pestem a rege auxilium petunt.

Aliam interpretandi viam et nostrae propiorem ingressi sunt G. Hermannus et F. G. Schneidewinus. Alter Hermannus, „*στέρξαντες*," inquit, „non est petentes, sed acquiescentes ferendo quod evitari non potuit." At non acquiescebant: nam si acquiescerent, supplices non adessent. Alter Schneidewinus [9]) ita vertit: „Dic, qua condicione hic consedistis, anxii aut iam malo affecti, (dic) cum tibi persuasum esse possit, me omnia tentaturum esse, ut auxilium feratur." Tum Wunderi duplici *ἱκετείας* causa allata, ita ut uter ejus discriminis auctor fuerit dubitare possis, haec dicit: pro verbis q. s. *ἤδη παθόντες* vel *ἀνατλάντες*, quae illi *δείσαντες* opposita sint, Oedipum mitiore uti voce q. e. *στέρξαντες*, i. e. „postquam in malo, quo adfecti estis, acquiescere debuistis, ut homines decet." conferri jubet Oed. Col. 509. *στέρξον* perfer. Unde apparet, quantopere Schneidewinus

[9]) In Hauptii et Sauppii biblioth. ed. sec. Lips. 1853. et ed. quart. cur. A. Nauck. Berol. 1861.

se torserit, ut ex Wundero, Hermanno, Scholiasta suam conglutinaret versionem. Neque vero verbum q. e. dic ex praecedenti illo *φράζε* repetitum ab eo velim propter sequentia verba quae sunt *ὡς θέλοντος ἄν*.

Extremum illud est ut commemorem, sacerdotem quaerenti Oedipo, quo animo constiterint, utrum timeant ut eis opituletur, an acquiescant in eo, quod ipsum ad opitulandum propensum fore existiment, respondere vv. 31—45, praecipue vv. 34. 35.:[10]) „Tu enim, qui antea nos summo malo liberasti, etiam nunc nobis opem et salutem afferes; sollicitudo autem nostra, ut forte nobis opem feras, eo tollitur, quod opem non ferens pristinam tuam gloriam perditurus sis.“ v. 46 seqq. Quos versus si ad nostram interpretationem contuleris, veri dissimilem eam non habebis.

Venio nunc ad v. 31 seqq.

θεοῖσι μέν νυν οὐκ ἰσούμενόν σ' ἐγώ,
οὐδ' οἵδε παῖδες, ἑζόμεσθ' ἐφέστιοι,
ἀνδρῶν δὲ πρῶτον ἔν τε συμφοραῖς βίου
κρίνοντες, ἔν τε δαιμόνων ξυναλλαγαῖς·
ὅς γ' ἐξέλυσας — —
νῦν τ', ὦ κράτιστον πᾶσιν Οἰδίπου κάρα,
ἱκετεύομέν σε πάντες οἵδε πρόστροποι,
ἀλκήν τιν' εὑρεῖν ἡμιν. —

quibus sacerdotem quaerenti Oedipo respondere supra significavi. Dicit autem hoc: dis quidem non aequiparantes te ego neque hi pueri sedemus in arae gradibus, verum hominum principem iudicantes, quippe qui olim urbem Sphingis tributo liberaveris: quare nunc quoque te hi omnes supplices oramus, ut auxilium aliquod nobis invenias, vel quare nunc quoque auxilium aliquod te nobis inventurum esse confidimus. Sed satis de responso. Offendo in vocabulo q. e *παῖδες* v. 32. quod librariorum errore inrepsisse mihi videtur, cum ab hoc loco plane alienum sit. Nam nisi duabus omnino significationibus nominis

[10]) Vid. Hermann. adnot. ad v. 35: „Elmsleius *ὅστ'* edidit, ita scholiasten legisse ratus, ut respondeat *νῦν τε* v. 40. At ita et durior fieret oratio nec satis recte procederet, quia sic demum illa sibi membra recte responderent, si dixisset *ὅστ' ἐξέλυσας — νῦν τε ἀλκήν τινα εὑρήσεις*. Nunc autem prius illud pro caussa attulit, cur ad Oedipum confugiant, alterum autem ut id, quod propter eam caussam consequens sit, petere eos auxilium ab eo, qui quod olim opem tulisset, nunc quoque salutaria inventurus sit.“

locum hic esse non posse apparet, quarum altera, quam multo plerique interpretes amplectuntur, ea est, ut nomine q. e. *παῖδες* omnes, qui supplicabant, significentur, altera, ut *παῖδες* ad primam tantum legationis partem i. e. ad verba quae sunt *οἱ μὲν οὐδέπω μακρὰν πτέσθαι σθένοντες* v. 16. referatur. Sed hoc loco qui totam quae aderat supplicum multitudinem verbo q. e. *παῖδες* significari censent, conferre nos jubent locos quales sunt v. 1. *ὦ τέκνα Κάδμου*. 58. *ὦ παῖδες οἰκτροί*. 142. *ἀλλ' ὡς τάχιστα παῖδες ἵστασθε*. Male. Nam tantum abest, ut hanc compellandi formulam, qua Oedipus rex optime utitur tamquam Thebanorum omnium pater, nostro loco invenias, ut si Jovis sacerdotem totius legationis patrem nominares, ineptires. Itaque confugiendum erit ad alteram significationem, sed ita fugias, ne praeter casam ut aiunt. Nam hoc loco qui proprietatem verbi q. e. *παῖδες* laudans fieri ullo modo posse existimat, ut pueri, *οἱ οὐδέπω μακρὰν πτέσθαι σθένοντες*, iudicent, utrum deus Oedipus an hominum princeps habendus sit, de Graecis pueris mira sentire videtur ac fabulosa. Itaque consideranti mihi quomodo vitiosa lectio corrigi possit, in mentem venit pro illo *παῖδες* scribere *πάντες*: *οὐδ' οἵδε πάντες ἑζόμεσθ' ἐφέστιοι*, quae scriptura non parum probabilitatis habere tibi videbitur, cum si contemplatus eris totius loci naturam, tum si comparaveris v. 41. *ἱκετεύομέν σε πάντες οἵδε πρόστροποι* et v. 327: *πάντες σε προσκυνοῦμεν οἵδ' ἱκτήριοι*.

Transeo nunc ad versum 134. ubi partim scholiastae auxilio adiutus partim mea aliqua ductus coniectura hanc concinnavi lectionem:

πρὸς τοῦ θανόντος τήνδε θεσπίζει τύχην,

qua tamquam in prima acie collocata singula examinanda sunt. Ac videamus primum locum integrum, quem libri scripti editique omnes sic exhibent:

ἀλλ' ἐξ ὑπαρχῆς αὖθις αὖτ' ἐγὼ φανῶ·
ἐπαξίως γὰρ Φοῖβος, ἀξίως δὲ σύ,
πρὸ τοῦ θανόντος τήνδ' ἔθεσθ' ἐπιστροφήν·
ὥστ' ἐνδίκως ὄψεσθε κἀμὲ σύμμαχον,
γῇ τῇδε τιμωροῦντα τῷ θεῷ θ' ἅμα. —

deinde sententiarum quae antecedunt argumentum atque ordinem primis velut lineis designemus. Itaque inter verba, qui-

bus Oedipus supplicum multitudinem consolari studet, Creon Delphis advenit, quem ille coram omnibus iam eloqui jubet, quaecunque ab Apolline audiverit, cum civium dolor magis ipsum conficiat quam suae ipsius vitae cura. Quo facto Creon piaculum istud, quod intra ipsam urbem Thebanam nutriatur, dei iussu exterminandum aut interficiendum esse edicit. Quibus auditis rex, postquam Lai interfectorem istud piaculum esse compererat, fortem se fore promittit urbis deique simul propugnatorem. Sed hac in rerum condicione, quam paucis describerem necesse esse putavi, ut argumentatio mea aptius procederet, vereor ne non una solum caussa insit, quae vulgatam nos sanam habere vetet.

Adverte, quaeso, oculos ad initium loci. Dicit Oedipus: Sed de integro rursus ea ego quaeram, sc. quis auctor caedis fuerit. Nam digne Phoebus, digne autem tu, pro mortuo hanc adhibuistis curam, hanc mortui habuistis rationem. Itaque etc. Quid tandem sibi vult illud γάρ? velut si, quod Phoebus et Creon digne uterque mortui rationem habuerint, hanc ob caussam et ipse Oedipus sibi mortui rationem habendam deque integro rem quaerendam esse putet. Haec caussa nisi fallor aut nulla est aut plane inepta. Itaque pro verbo q. e. γὰρ si legeremus δέ, melius aliquanto vulgata se haberet. Nec vero minus sequentia adversantur, cum Oedipus mortui curae mentione non facta terrae et deo vindicem se adfuturum esse promittat. Sed de hac re videatur infra. Nunc consideremus paullo accuratius, qualis illa ratio curave fuerit, quam et Phoebum et Creontem pro mortuo adhibuisse Oedipus disertis commemorat verbis. Igitur ab Apolline rite nos coepturi videmur. Sane ille curam suam posuerat, sed non tam in ipso Laio quam in interfecto Laio, miseratque illum morbum pestiferum, cujus averruncandi caussa Oedipus Creontem Delphos miserat ad oraculum, hanc medicinam sedulo secum considerando unicam esse ratus. Sed hanc dei curam si nostro loco intellegi vis, periculum est ne in stultitiae crimen incidas, quippe quo omnino de auxilio, non de poena vel ultione sermo sit. Itaque nihil relinquitur nisi ut curam quae creditur Apollinis ad oraculum Creonti editum referamus et deum eo, quod Lai interfectorem expelli aut interfici iusserit, Laium curasse dicamus. Sed cave ne curam appelles, quam neque appellavit quisquam curam neque appellaturus est. Nam nisi consultus Apollo non respondisset nec sponte Thebanorum calamitatem curasset. Itaque Oedipus

dignus est, ad quem curae adhibitae meritum transfundamus,[11]) quippe qui omni feratur cogitatione ad patriam servandam, dum Apollo, id quod sexcenties delectu omni ac discrimine remoto fecit, consulenti Creonti respondet. Sequitur ut de cura quae creditur Creontis pauca disseramus. Neque vero minus dubium est, quin haec pariter atque Apollinis nulla fuerit. Hic quispiam dixerit, at, inquit, duplex cura esse potuit, altera ea, ut legatione Delphica parato animo suscepta cum laude omnium officio fungeretur, altera ea, ut ipse rerum peritissimus ante Oedipodem, qui Laium et interfectum esse et quis eum interfecisset ignoraret, investigando interfectori operam dedisset quamvis irritam. Sed primum ex praecedentibus luce clarius est, Creontem cum legationem ad Apollinis oraculum susciperet, Oedipi iussu,[12]) non populi cura motum profectum esse, quod officium optima fide exsequi fidum decebat regis ministrum. Deinde nec Creon neque alius quisquam investigandum interfectorem curaverunt, ut manifestum est ex ipsius Creontis verbis proxime antecedentibus v. 126. et v. 130. Extremum illud est ut pauca adnotem de verbis quae sunt *πρὸ τοῦ θανόντος*. Cur tandem amabo et quo emolumento mortui cura? Placide ille quiescat, vivi curandi sunt, ut sequentia docent 135.[13])

Quae cum ita sint versus corrigendus est, neque incommode uti mihi videor scholiasta, qui praeter vulgatam q. e. *τήνδ' ἔθεσθ' ἐπιστροφὴν* hanc habet varietatem: *γρ. τήνδε θεσπίζει γραφήν*. Quam varietatem Elmsleius in editione scholiorum antiquorum in Sophoclis Oedipum Tyr. ex codice Laurentiano, quae Lipsiae A. MDCCCXXVI. prodiit apud Hartmannum, ad verba q. s. *τήνδε μηνύει τύχην* v. 102. pertinere censet, et G. Hermannus recte observasse Elmsleium dicit. Neque aliter Ellendtius, hic tamen *γραφὴν* ineptum vocans. Sed si recte se haberet Elmslei observatio, scholiasta v. 102. interfectorem intellexisse videretur, cui interpretationi locus esse non potest, siquidem interfectum significari versus sequentes docent, 103. 104.

Itaque scholiastae varietatem equidem transponi nolim, quamquam nomen q. e. *γραφὴν* hoc loco pariter inepte positum crediderim atque Ellendtio visum est v. 102. Substitui autem in locum eius nomen q. e. *τύχην*, quod quamvis longius aliquanto a veterum testimonio me discedere nimiaque mutandi

---

[11]) cfr. vv. 93. 94. — [12]) cf. v. 69—71. 85. 86. 91. 92. — [13]) Non adversatur v. 141.

libertate uti non ignorem, proponere tamen non dubito.[14]) Denique quod praepositionem q. e. *πρὸ* in *πρὸς* mutavi, suffragantur mihi codices. Nam dum Brunckii codd. tres, Bar. I. Bodl. 2. Dresd. b. Aug. c. Flor. *Θ*. pars non optima librorum *πρὸ* exhibent, ceteri, quorum Laur. A. prima manus (eraso ς) et Flor. *Γ*. sunt, *πρὸς* habent. Qua in re non sequor aliquot interpretum rationem, qui *πρὸς* praeferentes „in gratiam mortui" significare censent, sed interpretor equidem ita, ut propriam multoque usitatiorem: „aliqua ex parte proficiscendi oriendive significationem teneam, id quod vernacula lingua dicimus, von — her."

Habes itaque nisi fallor haud improbabilem Sophoclis emendationem *πρὸς τοῦ θανόντος τήνδε θεσπίζει τύχην*, ubi sententia mirum quantum erigitur:

„Sed de integro rursus ego ea quaeram, scil. quis auctor caedis fuerit. recte enim Phoebus, recte autem tu, dei vaticinantis tamquam interpres, a mortuo natam hanc vaticinatur fortunam, i. e. pestem et calamitatem peste exortam. quapropter iuste videbitis me quoque adiutorem, hanc terram vindicantem simulque deum."

Legimus vv. 139. 140.

ὅστις γὰρ ἦν ἐκεῖνον ὁ κτανών, τάχ' ἂν
κἄμ' ἂν τοιαύτῃ χειρὶ τιμωρεῖν θέλοι·

Hic duo sunt quae claudicare videntur: primum nescio quid sibi velit duplex illud *ἄν*: *τάχ' ἂν κἄμ' ἄν*, deinde vocabulum q. e. *τοιοῦτος* quid valeat non video. Sane non ignoro, optativum cum simplici *ἂν* coniunctum illum, quem vocant potentialem vel dubitativum, tam in principalibus quam in secundariis sententiis saepissime usurpari ita, ut aliquid significetur tamquam id, quod cogitatione comprehendi possit et quod prout res sunt accidere possit accidatque, ad quod aliquis propensus sit, omnino ut sententia aliqua de praesenti aut futuro tempore modeste exprompta indicetur.[15]) Sane hic optativus etiam nostro loco cernitur, et id ita quidem, ut pro simplici illo *ἂν* iam

[14]) De significatione malae et infaustae fortunae, quam nomini subicio, cfr. huius fabulae vv. 52. 102. 263. 773. 776. 1036. quibus si animus est adde Ai. 283. 1028. 1058. Oed. Col. 1404. Phil. 1317. 1418. — [15]) Exempli caussa Aeschyl. Prom. 345. Xenoph. Cyr. 3, 1, 41. Isocr. Areop. 36. Xenoph. anab. 2, 1, 10.

cumulandi et augendi caussa poeta addiderit vocem q. e. *τάχ'*. Cur igitur tandem illa coacervationis tamqam coacervatio quae est *τάχ' ἄν κἄμ' ἄν*? Coniungi enim solent quod scio verba quae sunt *τάχ' ἄν* cum optativo eodem modo quo illud *ἄν*, non adiecto altero insuper *ἄν*, neque omnino exempla inveneris, ubi ad illud *τάχα* aut poetae aut prosae orationis scriptores particulam q. e. *ἄν* bis adiecerunt. [16]) Itaque cum iteratum illud *ἄν* ab usu prorsus abhorreat nec facile exemplis possit confirmari, iam cum huius loci aliud vocabulum nullum sit neque *κἄμ'* nec *τοιαύτῃ* nec denique *τιμωρεῖν*, ad quod alterum *ἄν* referri possit, denique cum sententia nulla interiecta sit ita, ut altero *ἄν* repetito ad primariam reverti sententiam iubeamur, [17]) mutatione opus est. Deinde vocabulum q. e. *τοιαύτῃ* quo pacto quis recte interpretari possit non intellego. Videamus locum integrum: *ὅστις γὰρ ἦν ἐκεῖνον ὁ κτανών, τάχ' ἄν | κἄμ' ἂν τοιαύτῃ χειρὶ τιμωρεῖν θέλοι.* Dic mihi sodes, qualis illa manus fuerit, qua Laius interfectus est? dextra an sinistra, magna an parva? At impia. Sane qua magis impia nulla esse potest: sed ne uno quidem omnino verbo de manus qualitate mentio fit, quamobrem cavendum est ne intellegendi simulque audiendi campus aliquanto latius pateat. Quae cum ita sint nihil est quod gratius Sophocli fieri possit, quam ut deleto vocabulo q. e. *τοιαύτῃ*, quae post hominum memoriam latuit macula deleatur. Denique non iniuria haeret Wunderus in verbo q. e. *τιμωρεῖν*, quod non meminerit umquam alia quam ulciscendi, puniendi significatione cum accusativo coniunctum se legere, quam potestatem ab hoc loco alienam esse, in quo requiratur verbum, quod occidere significet. Existimat autem Sophoclem nove verbo q. e. *τιμωρεῖν* significationem interficiendi tribuisse, sicuti v. 107. *χειρὶ τιμωρεῖν*, repetitque hanc significationem ex addito illo substantivo *χειρί*. Priora illa recte se habent, [18]) at posteriora

---

[16]) Vide exempla: Aeschylus Eum. 512. Sept. 400. 705. 913. Prom. 312. Suppl. 184. 458. 486. 727. — Sophocles Oed. R. 523. 936. 1116. Oed. C. 965. Ai. 170. 345. 691. 778. 962. 1042. 1148. Trach. 387. Phil. 20. 1061. 1078. 1260. — Euripides Orest. 700. Alcest. 1101. Suppl. 184. Iph. A. 1425. Iph. T. 1055. Rhes. 138. 561. 995. Heraclid. 327. 462. Helen. 1082. Ion. 575. El. 399. 402. — [17]) cfr. Od. R. 261. 446. 505. 602. 772. 857. 862. 1053. 1438. Oed. Col. 391. 780. 977. 1110. 1366. 1528. Ai. 525. 537. 1036. 1073. 1144. 1246. El. 325. 548. 687. 1092. 1364. Ant. 386. 462. 664. 676. 875. 1141. Trach. 21. 743. Phil. 222. 1037. Sic sexcenties alibi sine ratione *ἄν* non repetitur. — [18]) Vide enim exempla: duae omnino verbo q. e. *τιμωρεῖν* significationes sunt. altera ulciscendi sive puniendi ac-

minus. Nam primum verba versus 107. aliter se habent neque abhorrent ab ulciscendi significatione, deinde non intellegitur, cur ultio sive poena, quae manu fit, ea semper esse debeat, ut qui ulciscitur aliquem vel punit, nisi in interfecto eo non acquiescat.

Quae si recte disputata sunt, huic sententiae, quam nemo adhuc addubitavit, non male consulueris scribendo

ὅστις γὰρ ἦν ἐκεῖνον ὁ κτανών, τάχ' ἂν
κἀμαυτὸν αὐτοχειρὶ τιμωρεῖν θέλοι.

Hic quempiam insusurrantem audire mihi videor, eum qui summos in philosophia honores rite sit capessiturus, nescire, pronomen reflexivum primae personae quod est *ἐμαυτοῦ, ἐμαυτῆς* nisi in eis sententiis, quarum subiectum sit vox quae est „ego," non usurpari, et id ita, ut omnes ad subiectum relationes, non semper gravitatis ratione habita, eo exprimantur. Susurrent sane, id non moror, quamquam iusto audacior huic illi videri potest ista mea mutatio, immo quas ob causas communi sermonis consuetudine abuti non dubitaverim paucis exponam. Fateor primam causam mihi fuisse gravem aeque ac dulcem sonum verborum quae sunt *κἀμαυτὸν αὐτοχειρί*, quibuscum conferas alia huius perorationis simillime sonantia, ut 132. *ἀλλ' ἐξ ὑπαρχῆς αὖθις αὖτ'* et 138. *ἀλλ' αὐτὸς αὐτοῦ τοῦτ'* — tum verbum q. e. *τιμωρεῖν* illi *κἀμαυτὸν* patrocinari putavi, quod ut brevi dicam ambiguitatem in verbis inesse debere propria verbi *τιμωρεῖν* significatio ulciscendi arguere mihi videtur. Consideremus verba paullo accuratius: „Quicunque enim est qui illum interfecit, is me quoque sua manu ulcisci, punire velit." Ambiguam hic sententiam statuendam esse quis est qui non videat, nec non cum aliud poeta significet ac dicere videatur, hanc in verbis sententiam latere: „ego enim Oedipus, qui ipse illum interfeci, me quoque ipse mea manu ulciscar." Itaque Sophocles Oedipum futuram suam fortunam quamvis omnino non praesentientem, vaticinantem tamen facit. Sic omnia optime ac

---

cusativo iuncta, sed ita ut activa et media forma usu confundantur, Soph. O. R. 107. 140. Phil. 1258. Eurip. Orest. 433. Hec. 756. 882. Hippol. 1422. Xen. Hell. 26. 11. cf. Terent. fab. quae inscribitur *ἑαυτὸν τιμωρούμενος*, — altera significatio tam activae quam mediae formae est auxiliandi, opitulandi dativo iuncta, sed ita semper usurpatur, ut vindicandi, ulciscendi notio simul audienda sit. Soph. O. R. 136. El. 341. 391. Eurip. Hec. 749. Iphig. T. 925. et El. 974. Herod. 2, 63. Xenoph. hell. 7, 3, 7. Sed nullum exemplum invenies, quod interficiendi significationem tueatur.

poeta dignissime procedunt nec periculum est, ne in suspicionem violatarum grammaticae regularum incidam.

Restat ut pauca dicam de adverbio q. e. *αὐτοχειρί*. Videamus qualis nominis q. e. *αὐτόχειρ* usus apud Sophoclem occurrat. Oed. R. 1331. Antig. 1160. 891. 1299. Ant. 306. Trach. 1193. Ai. 57. El. 1007. proprie significat eum, qui sua ipse manu aliquid facit, non utens aliena opera, qui propria manu facit, dum in Antig. v. 172. alium ei usum dat Sophocles, utpote substantivo tamquam adiectivum iungens, qui usus apud Euripidem passim invenitur Med. 1281. Orest. 947. Tum in Soph. O. R. 266. El. 943. et O. R. 231. est *αὐτόχειρ τοῦ φόνου* vel *αὐτόχειρ* sine adiectione is, qui sua manu caedem patrarit, non alia ad eam patrandam usus, homicida, interfector.

Unde nec Sophoclem adverbio q. e. *αὐτοχειρὶ* usum et *αὐτόχειρ* pro illo *αὐτοχειρὶ* ad nostrum etiam locum magis accommodatum esse apparet. Sed quod Sophocles illud adverbium non usurpavit nondum causa est, cur ex fabulis eius prorsus exterminandum id iudicemus, siquidem *ἅπαξ λεγόμενα* quae dicunt a Sophocleo sermone non aliena sunt, nec vero ita inusitatum est aliis auctoribus adverbium illud *αὐτοχειρί*, exempli gratia Eurip. Orest. 1040. Pausan. Achaic. *ἀποκτείνας δὲ αὐτοχειρὶ τὴν γυναῖκα.* Antiph. *τοῦτον ἡ βουλή, ὅτι τὴν πόλιν ἐνεχείρει προδιδόναι, αὐτοχειρὶ ἀπέκτεινε.* Lycurg. Leocr. 122. — *αὐτοχερὶ* Callim. ep. 59. Manetho 3, 200 (ed. Axt.), quibuscum conferas *αὐτοποδὶ* apud D. Cass. et *πανοικὶ* ap. Plat. Eryx. 392. C.

Mirum in modum et frustra opinor laboraverunt interpretes in explicandis versibus sequentibus, et ubi explicatione qualicunque supersedere et potuerunt et debuerunt, ne tenebrae obducerentur rebus clarissimis, longas nec paucas adnotationes, interpretationes, excursus, alia huiusmodi ornamenta quae credunt editionum adicienda sibi esse putaverunt. Iam fuerunt qui totam quam habet a v. 216. usque ad v. 275. Oedipus orationem sive evocationem furentis ideoque perplexe dicentis hominis existimare non dubitarent. Sed qui attente regis orationem legerit, facile intelleget primum eam placide ac veluti crystallo clarius defluere, deinde autem simulatque Oedipus ipsis quarum mentionem facit rebus vehementissime concitatus est, turbari, exaestuare, sermonis tamquam ripas perfringere, id quod anacoluthiae quas dicunt saepius obviam euntes satis luculenter

testantur. Itaque quorum utrique quam temere et legerint et judicarint ut perspiciamus, singula deinceps contemplemur. *ὅστις ποθ' ὑμῶν Λάιον τὸν Λαβδάκου* 225. *κάτοιδεν ἀνδρὸς ἐκ τίνος διώλετο, | τοῦτον κελεύω πάντα σημαίνειν ἐμοί*, — „quicunque vestrum est, qui a quo homine Lajus Labdaci filius interfectus sit non nescit, eum iubeo omnia mihi indicare."

Haec summa eorum est, quae Oedipus omnibus Cadmeis edicturus erat v. 223.

ὑμῖν προφωνῶ πᾶσι Καδμείοις τάδε.

cui summae quae sequuntur omnia tam apte tamque concinne continuantur, ut si animus sit quasi in membra ea discerpere possis.

Sequuntur enim duo additamenta bene inter se distincta atque opposita vocibus q. s. *εἰ μέν — εἰ δ' αἴ*, alterum

κεἰ μὲν φοβεῖται, τοὐπίκλημ' ὑπεξελὼν | αὐτὸς καθ' αὑτοῦ· πείσεται γὰρ ἄλλο μὲν | ἀστεργὲς οὐδέν· γῆς δ' ἄπεισιν ἀβλαβής.

alterum 230. *εἰ δ' αὖτις ἄλλον οἶδεν ἐξ ἄλλης χθονὸς | τὸν αὐτόχειρα, μὴ σιωπάτω· τὸ γὰρ | κέρδος τελῶ 'γώ, χἠ χάρις προσκείσεται.*

quibus interpositis ad summam redit orator:

εἰ δ' αὖ σιωπήσεσθε, καί τις ἢ φίλου | δείσας ἀπώσει τοὔπος ἢ καὐτοῦ τόδε, | 235. *ἆκ τῶνδε δράσω, ταῦτα χρὴ κλύειν ἐμοῦ.* Atque additamentum illud *κεἰ μὲν φοβεῖται κτἑ.* cum proxime antecedentibus arctissime cohaerere apparet ex coniunctione q. e. *κεἰ*, unde etiam illi *πάντα σημαίνειν* v. 226. haud parva accedit gravitas: „omnia iubeo eum indicare, etiamsi metuit (omnia mihi indicare), siquidem eo indicio occultum crimen ipse ex se et in se promat, i. e. etiamsi timendum est, ne eo iudicio ipse se interfectorem esse indicet: sc. omnia tamen mihi indicato: nam aliud quidem grave nihil patietur, sed e terra abibit incolumis, i. e. nam nihil aliud grave patietur nisi exsilium."[19]) Quapropter auctor equidem

[19]) Aliquanto leviorem totius sententiae interpretem se praestitit scholiasta, cujus verba haec sunt: *καὶ εἰ μὲν αὐτὸς εἴη πράξας, καὶ φοβεῖται λέγειν αὐτὸς καθ' αὑτοῦ, τὸν φόβον ὑπεξελὼν λεγέτω. οὐδὲν γὰρ δεινὸν πείσεται, εἰ μὴ ὅτι τῆσδε τῆς γῆς ἀπαλλάξεται.* Videtur igitur sic interpretatus esse: *κεἰ μὲν φοβεῖται τοὐπίκλημα αὐτὸς καθ' αὑτοῦ, τὸν φόβον ὑπεξελὼν σημαινέτω*, nec nemini primo adspectu haec explicatio blandiatur. At quod ex verbo q. e. *φοβεῖται* substantivum *τὸν φόβον* repeti vult, iusto audacius intellegendi libertate usus est, nec video quae sententia ex

esse velim, ut exstincto illo graviore coli quem vocant signo post vocabulum q. e. *ἐμοὶ* v. 226. levius commatis signum ponatur, quo facto dubium iam nemini esse potest, quid qui Lai interfectorem noverit et indicet vereatur, nempe *πάντα σημαίνειν*.

Alterum deinde additamentum *εἰ δ' αὖ τις ἄλλον — — προσκείσεται* ad antecedens referendum est sic: „sin vero quis alium scit ex alia terra interfectorem esse, ne taceto: pecunia enim et gratia eum remunerabor.“

Verborum denique q. s. *εἰ δ' αὖ σιωπήσεσθε — — κλύειν ἐμοῦ* haec erit sententia: „sin vero tacebitis sc. et tu, qui ipse interfector es, et tu, qui alium scis ex alia terra interfectorem, utrumque vestrum exsecrabor.“

Itaque sententiarum ordinem ut uno obtutu perspiciamus, brevi in conspectu ponamus:

I. Qui Lai interfectorem novit, indicato.

1. Ipse interfector si se indicat, expelletur.
2. Alium sin quis ex alia terra indicat, pecunia et gratia ornabitur.

II. Si vero tacebitis, vos exsecrabor.

Hoc modo si furibundi omnes se gererent et loquerentur, facile quibus contineri solent insani domibus carere opinor possemus, nisi forte eos includendos curaveris, qui Oedipum insanire rati ipsi insaniunt. Sed haec hactenus: satis habeo adfictum Oedipo insaniae crimen reiecisse ad insimulatores.

Videamus nunc, num versibus 227. et 230. quos velut aegrotantes alius alia medicina doctus vir sanare studuit, medicina omnino opus est.

Ac versum 227. libri tam scripti quam editi integrum sic exhibent: *κεἰ μὲν φοβεῖται τοὐπίκλημ' ὑπεξελὼν | αὐτὸς καθ' αὑτοῦ·* quem qua ratione interpretandum esse censuerim supra significavi: „etiamsi indicium veretur, quippe quo ipse in se crimen occultum promat.“ Hic cardo vertitur in quaestione, quid valeat verbum q. e. *ὑπεξαιρεῖν*. Secutus equidem sum G. Hermannum, qui in secunda Oedipi Regis editione hanc verbi ex-

---

illo *φόβον ὑπεξελὼν* erui possit, cum quidem *φόβον ἐξαιρεῖν* „timorem abicere“ bene se habeat, sicuti Eurip. Phoen. v. 991. *εὖ πατρὸς ἐξεῖλον φόβον*, sed *φόβον ὑπεξαιρεῖν* male. Immo verba q. s. *τοὐπίκλημ' ὑπεξελὼν* non separari inter se sententia aeque iubet ac caesura illud *τοὐπίκλημ'* cum *φοβεῖται* tamquam accusativum coniungi vetat.

plicationem proposuit: „Sensus est“ inquit „si metuit, si ei contra se ipsum promendum est indicium. *ὑπεξαιρεῖν* proprie est condita promere,“ quam sententiam sustentavit in secunda Electrae editione v. 1410. *πολύρρυτον γὰρ αἷμ' ὑπεξαιροῦσι τῶν | κτανόντων οἱ πάλαι θανόντες*, ubi haec adnotavit: „*ὑπεξαιρεῖν* est occulta et recondita promere Oed. R. 227. Eurip. Hippol. 633. *ὄλβον δωμάτων ὑπεξελών*.“ Quamquam concedo exemplum hoc Euripideum excitare Hermannum non debuisse, quod alius sermo est Sophoclis, alius Euripidis. Sophoclis enim verbo q. e. *ὑπεξαιρεῖν* bis composito, quo bis omnino usus est, propriam ac primam semel compositi *ἐξαιρεῖν* significationem servare voluisse videtur, ut „promere“ valeat, sicuti Pindar. Ol. 1, 26. *λέβητος ἔξελε* et Hom. Il. Υ, 823. *φαρέτρης ἐξείλετο πικρὸν ὀιστόν*, alias, adiecta illa reconditi (*ὑπό*) notione, dum Euripides, Thucydides, Plato, alii multo sane usitatiorem clam sive paullatim tollendi vim ei tribunt, ut Eurip. l. c. Thucyd. 8, 70. *ἀπέκτειναν οὐ πολλοὺς οἵ ἐδόκουν ἐπιτήδειοι εἶναι ὑπεξαιρεθῆναι*. Plat. republ. 8, 567 B. *ὑπεξαιρεῖν δὴ τούτους πάντας δεῖ τὸν τύραννον, εἰ μέλλει ἄρξειν*.

Sed Hermannum in hac sua sententia, quam unice veram existimare equidem nihil dubito, non perseveravisse doleo: in tertia enim Oedipi Regis editione, quae octo annis post alteram Electrae prodiit, Matthiaei amplexus explicationem: „Sensus est“ inquit, si metuit, subterfugiens accusationem sui ipsius,“ hanc verborum adicit compositionem, cujus ipse idem Matthiae auctor fuit: „dicturus erat *κεἰ μὲν φοβεῖται τοὐπίκλημ' ὑπεξελὼν αὐτὸς καθ' αὑτοῦ, γῆς ἄπεισιν ἀβλαβής· πείσεται γὰρ ἄλλο ἀστεργὲς οὐδέν*. mutato ordine additae particulae.“ Itaque si quid video haec erit sententia; „et si metuit, subterfugiens accusationem sui ipsius, e terra abibit incolumis. patietur enim aliud grave nullum.“ Quae conformatio et explicatio duo iam experta est patronos, alterum Wunderum: „et si metuit (sc. *ὑμῶν τις πάντα σημαίνειν ἐμοί*), crimen caedis, cujus ipse reus sit, surripiat sive subterfugiat, et in terram peregrinam abeat; nullum enim aliud patietur malum. Id est: si metuit hoc mihi dicere, cum ipse criminis reus est, elabatur e crimine caedis abeundo in terram peregrinam; nullum enim etc.“ sequitur compositionis explanatio et quasi excusatio ex Matthiaei libro grammatico petita. — alterum Ellendtium: „si quis exsul propter facinus ex civitate abit, crimen una cum eo de civitate tollitur, et quidem non tam palam et multo rumore, quam tacite et

nemine sentiente." Sed compositionem illam verborum ut concedamus, tamen et subterfugiendi significatio a verbo q. e. ὑπεξαιρεῖν abhorrere et tota interpretatio satis aliena esse videtur prae nostra. Nam Matthiaeo, Hermanno, Wundero persuasum est, interfectori ipsum se indicare verenti licere, caedis crimen abeundo subterfugere sine caedis ab ipso perpetratae indicio. Quod quomodo fieri possit non video. Nam etiamsi sine indicio sive accusatione sui ipsius e terra abit incolumis, eo tamen ipso quod abit interfectorem se indicabit. Unde apertum est ad omnem eventum indicium fieri, sive ipse verbis id fecerit sive abeundo interfectorem tacite et clam se indicat, neque umquam e crimine caedis eum elabi posse abeundo, at e graviore caedis poena i. e. e supplicio. Itaque si Wundero triumvirorum tamquam interpreti verba q. s. *κεἰ μὲν φοβεῖται — — ἀβλαβὴς* sic explanare licuisset: „si metuit hoc mihi dicere, cum ipse criminis (caedis equidem malim) reus est, elabatur e poena caedis, i. e. e supplicio, abeundo in terram peregrinam; nullum enim aliud patietur malum," et sententia recte procederet et ambiguitas sublata esset, quae ex ejus interpretatione voci q. e. crimen adfixa est. Multo autem veri similius esse iudico, Oedipum ab interfectore ipso verbis ac palam caedis crimen fieri voluisse, quam tacite abeundo, propterea quod tantum abest ut clandestinum illud factum secundum regis mandatum v. 224—226. sit, ut occisoris investigationem retardarit praeter necessitatem. Ellendtius quod dixit, „non tam palam et multo rumore quam tacite et nemine sentiente" quid ad rem pertineat me non intellexisse ingenue fateor, nec magis perspexi, utrum ille rumor aut silentium ad abeuntem propter facinus hominem referendum sit an ad crimen, quod una cum eo de civitate tollatur.

Elmsleius hoc modo construit verba: „*κεἰ μὲν φοβεῖται, αὐτὸς καθ' αὑτοῦ* (*σημαινέτω*), *ὑπεξελὼν τοὐπίκλημα.*" quae postrema interpretatur: „crimen confitendo diluens." Construi possunt verba ita, vel invito Hermanno, at si crimen confitendo diluit, quid tandem sibi vult illa prae facinore quamvis levissima exsilii poena?

Schneidewinus et Nauckius post verba quae sunt *αὐτὸς καθ' αὑτοῦ* signum orationis praecisae in textu posuerunt, haec disserentes: „Oedipus, der dem thäter, wofern er sich selbst angebe, furcht vor härterer strafe benehmen will, hat im sinne: *κεἰ μὲν φοβεῖται, μὴ πάθῃ τι* (etwas arges, den tod) *τοὐπίκλημα ὑπεξελὼν αὐτὸς καθ' αὑτοῦ* (wofern er die selbstanklage

freiwillig aus seinem innern, wo er sie versteckt hält, hervorholt, vgl. El. 1420.) *μὴ φοβείσθω.*" Ut mittam illud signum veteribus nisi fallor prorsus novum atque inauditum, recte ceteroquin omnia, praecipue verbum q. e. *ὑπεξαιρεῖν* interpretati esse mihi viderentur, si quam simul audiverunt sententiam *μὴ πάθῃ τι — μὴ φοβείσθω*, cujus nescio an scholiasta aliqua ex parte auctor eis fuerit (*τὸν φόβον ὑπεξελών*), et per se patere et alienam hinc esse sibi persuasissent propter illud *κεἰ*, id quod supra exposui. Commemorat deinde Nauckius in appendicis altera parte coniecturam C. Halmii *ὑπεξελεῖν*: „nur möchte ich schreiben, wie auch Blaydes vermuthet, *καὶ μὴ φοβείσθω*[20]) *τοὐπίκλημα ὑπεξελεῖν αὐτὸς καθ' αὑτοῦ· πείσεται γὰρ κτλ.*" At equidem non scribam: nam ut Halmii coniectura totam sententiam simpliciorem reddit ac clariorem, ita Nauckii, praeterquam quod a libris iusto plus recedit, contextum illum *κεἰ μὲν — εἰ δ' αὖ τις* v. 230. tollit.

Transeo nunc ad versum 230. qui librorum omnium consensu sic exhibetur: *εἰ δ' αὖ τις ἄλλον οἶδεν ἐξ ἄλλης χθονὸς | τὸν αὐτόχειρα, μὴ σιωπάτω*, quae verba ipse ita verti: „sin vero quis alium novit ex alia terra interfectorem, ne taceto." Hic nihil mutandum esse mihi censenti suffragantur Brunckius, Schaeferus, Elmsleius, Erfurdtius, G. Dindorfius, Schneidewinus, Nauckius, at refragantur interpretanti, quorum quod omnium eadem interpretatio est, Erfurdtium quasi oratoris munere fungentem faciam. „Oedipus" inquit, postquam indicare iussit, si buis a cive Laium interfectum esse sciret, ipsumque, si forte adesset, occisorem ad confessionem facinoris adducere studuit, nunc sileri vetat „si quis peregrinum[21]) noverit caedis auctorem esse. *ἄλλον* alium, qui non sit civis." Unde hic tibi sententiarum ordo orietur: „qui civis, a quo cive Laius interfectus sit novit, indicato. interfector sc. qui civis est, si ipse se indicat, expelletur. sin quis civis peregrinum caedis auctorem novit et indicat, pecunia et gratia ornabitur." Sed haec verba parum distincte dicentis sunt, qualia Sophocles Oedipum loquentem nullo modo fecerit. Apparet enim primum esse sermonem de poena, nescio an dicam praemium, interfectoris se ipsum indicantis, tum de praemio indicis, qui Laium non interfecit. Ac

---

[20]) Quae coniectura forsitan ex illa intellecta sententia *μὴ φοβείσθω* in mentem eis venerit. — [21]) Schol. *εἰ δὲ ξένον τις οἶδεν τὸν φονέα, μηνυσάτω.*

per se patet ipsum interfectorem velut certissimum caedis auctoris indicem nulla re nisi timore impeditum esse, quominus ipse se indicaret. Itaque Oedipus ut eum timore liberet et ad accusationem sui ipsius permoveat, poenam quidem proponit caedi, sed levem. Deinde non est quod qui caedis auctorem noverit ipse interfector sit, sed fieri potest, ut alium sive civem sive peregrinum interfectorem noverit. Huic Oedipus indicii praemium ut par est et gratiam pollicetur. I nunc, amabo, et reputa tecum Erfurdtii ratiocinationem, qui quidem interfectorem poena, sed praemio eum tantum affici vult, qui peregrinum indicaverit interfectorem. Tamquam si frater meus, qui quidem Gedanensis, sed alius est atque ego, qui et ipse Gedanensis sum, peregrinus sit habendus!

Satis luculenter demonstrasse me opinor, Erfurdtium et qui una eandem proposuerunt interpretationem, verborum quae sunt ἄλλον ἐξ ἄλλης χθονὸς sententiam parum intellexisse, suspicans in errorem eos fortasse inductos esse vocibus, quales sicuti in peroratione v. 132—146. significavi, hac quoque in oratione passim aliquot insunt, ut v. 222. ἀστὸς εἰς ἀστούς. 228. αὐτὸς καθ' αὑτοῦ. 248. κακὸν κακῶς. 260. κοινῶν τε παίδων κοίν' ἄν. Sed quaecunque erroris caussa est, communis Graeci sermonis consuetudo est, ut duo aut diversi aut pares vocabuli q. e. ἄλλος casus inter se coniungantur secumque componantur, ut exemplo utar Pind. P. 2, 13. ἄλλοις δέ τις ἐτέλεσσεν ἄλλος ἀνὴρ — ὕμνον. Aeschyl. Sept. 451. λέγ' ἄλλον ἄλλαις ἐν πύλαις εἰληχότα „alium in hac, alium in illa porta," ubi non modo plus unus homo et plus una porta, sed etiam diversae portae significantur. Qua ex consuetudine quid emolumenti nostro loco exoriatur statim apparebit. „Sin vero quis alium ex hac novit alium ex illa terra interfectorem esse, ne taceto." Sicuti enim Aeschyli exemplo, sic etiam hoc loco et plures homines ac terrae et homines ex diversis terris significantur, ut facile intellegas verba q. s. ἄλλον ἐξ ἄλλης χθονὸς non solum peregrinum aliquem significare, sed alium etiam civem Thebanum comprehendere, quam notionem distinctus sententiarum ordo postulare mihi videtur. Itaque habebis hanc totius loci interpretationem:

„Quicunque vestrum est, qui a quo homine Laius Labdaci filius interfectus sit non ignorat, eum iubeo omnia mihi indicare, etiamsi metuit, siquidem eo indicio ipse in se crimen occultum promat: nam aliud quidem grave nihil patietur, sed e terra

abibit incolumis. „Sin vero quis, i. e. ὅστις ὑμῶν Λάιον κάτοιδεν ἀνδρὸς ἐκ τίνος διώλετο, alium (sc. ac se ipsum, ita ut ἄλλον, id quod proximum est, opponatur illi αὐτὸς καθ' αὑτοῦ v. 228.) sive ex hac sive ex alia terra interfectorem esse novit, ne taceto“: pecunia enim et gratia eum remunerabor. Sin vero tacebitis, et si quis aut amico (i. e. ἄλλον ἐξ ἄλλης χθονὸς[22]) aut ipse sibi (αὐτὸς καθ' αὑτοῦ) timens hoc edictum negliget, quae dehinc facturus sim, ea oportet ex me audiantur.“

Sic primum v. 224. in unum omnes exhortatur Oedipus, ut interfectorem indicent, deinde v. 227. eum tantum, qui ipse caedem fecerit, ut hic ipse se indicet, denique v. 230. eum, qui sive alium Thebanum aliquem sive peregrinum hominem interfectorem esse noverit, ne taceat. Et quamquam Apollo v. 97. μίασμα χώρας ὡς τεθραμμένον χθονὶ ἐν τῇδ' et 110. ἐν τῇδ' ἔφασκε γῇ, interfectorem Thebis esse plane et aperte dixit, tamen ob id ipsum non incommode Oedipus usus esse mihi videtur communi illa notione ἄλλον ἐξ ἄλλης χθονός, ne tamquam pater patriae quidquam negligeret, quod deprehendendo interfectori usui fore opinabatur.

Restat ut varias doctorum virorum, qui mutationis medelam huic loco adhibendam esse sibi putaverunt, coniecturas paucis doceam. Itaque Hermannus postquam Purgoldi coniecturam ἄλλος, quam recepit Elmsleius, satis superque refutavit, „Vauvillersius“ inquit „ἀστὸν ἢ 'ξ ἄλλης χθονός. Ἀστὸν quidem inepte, sed ἢ 'ξ mihi quoque diu est cum requiri videbatur. Nam ἐξ ἄλλης χθονὸς ut defendi possit, tamen satis alienum videtur prae eo, quod sagaciter invenit Neuius ἐξ ἄλλης χερός, comparans Eurip. Iphig. A. 1164. ἀπώλεσέν σ', ὦ τέκνον, ὁ φυτεύσας πατὴρ αὐτὸς κτανών, οὐκ ἄλλος, οὐδ' ἄλλῃ χερί. Id si diceretur ἄλλον ἐξ ἄλλης χερός, utrumque et ἄλλον et ἐξ ἄλλης χερὸς opponeretur ei, qui indicium faceret. At ille alius aut ipse occiderat Laium, aut per alios. Quare sic quoque ἢ addendum erat. Has igitur ambas coniecturas recipiendas iudicavi.“ Wunderus qua solet magniloquentia arrogantius paullo sic censet: „ἢ 'ξ ex Vauvillersii coniectura pro ἐξ, et χερὸς ex Neuii emendatione pro χθονὸς scripsi. scripturam vulgatam ineptam esse facile quivis intelleget, qui nexum loci diligentius

[22]) Thebani igitur ex Erfurdtii interpretatione putandi sunt inter se amicitias non fecisse, sed non nisi cum peregrinis.

consideraverit. apte (?) adscripsit Neuius Eurip. Iph. A. 1164.“ Nauckius: „Unpassend scheint *ἄλλον*, wofür man, wenn *ἐξ ἄλλης χθονὸς* richtig ist, wohl *ἐλθόντ'* erwarten sollte. Andre wollten dagegen *ἄλλον ἢ 'ξ ἄλλης χερός*, was mir unverständlich ist.“

Ut pauca dicam, supra (pag. 12.) commemoravi, nomen q. e. *αὐτόχειρ* eum significare, qui sua manu caedem patrarit, non alia ad eam patrandam usus, nec difficile est ad intellegendum, ex analogia quam dicunt *ἀλλόχειρ* (*ἐξ ἄλλης χερός*), quod nomen inusitatum Graecis fuisse videtur, illi *αὐτόχειρ* v. 231. contraium fore. Sicuti autem quae modo disputavi vera sunt atque dilucida, ita obscura et inepta ea sunt, quae Neuius coniciens, Hermannus et Wunderus adsentientes ab Oedipode dicta volunt, Neuius: *εἰ δ'αὖ τις ἄλλον οἶδεν ἀλλόχειρα τὸν αὐτόχειρα* „sin vero quis alium, qui alia manu caedem patravit, novit eum esse, qui sua manu caedem patravit, non alia ad eam patrandum usus;“ Hermannus et Wunderus: *εἰ δ'αὖ τις ἄλλον οἶδεν ἢ ἀλλόχειρα τὸν αὐτόχειρα* „sin vero quis alium aut eum, qui alia manu caedem patravit, novit eum esse, qui propria manu caedem patravit.“ Quis tandem est, qui has notas investigare et persequi audeat? Oxymoron est, quod etiamsi codices tuerentur tamquam genuinam lectionem, tollendum esset.

Haec fere sunt quae de hoc loco dicenda mihi fuere, ut interpretum adhuc explicationes in distincta oratione peccasse et coniecturas supervacaneas atque inutiles esse mutilationes evincerem.

328. *πάντες γὰρ οὐ φρονεῖτ· ἐγὼ δ'οὐ μήποτε*
τἄμ' ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σ'ἐκφήνω κακά.

Haec librorum omnium lectio nimio plus interpretes fatigavit utpote verba et construi et explicari posse desperantes. Itaque quot capita, tot sententiae. Scholiastes vetus: „*οὐκ ἐμφανῶ τὰ ἐμὰ ἔπη, ἵνα μὴ τὰ σὰ εἴπω κακά*“ sic construxisse videtur: „*ἐγὼ δ'οὐ μήποτε τὰ ἐμὰ ἐκφήνω, ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σὰ κακά.*“ Recentior: „*οὐ μήποτε εἴπω τὴν ἐμὴν μαντείαν, ὡς ἂν μὴ φανερὰ ποιήσω τὰ σὰ κακά*“ sic: „*ἐγὼ δ'οὐ μήποτε τὰ ἐμὰ εἴπω, ὡς ἂν μὴ τὰ σὰ ἐκφήνω κακά.*“ Triclinius: „*λάμβανε δὲ καὶ πρὸς τὸ κἀμὰ τὸ ἐκφήνω κατὰ συνεκδοχήν, πλὴν ἐκεῖ μὲν χωρὶς τοῦ κακὰ ἐρεῖς, οὕτως· ἐγὼ δ'ὡς ἂν εἴπω, οὐ μήποτ' ἐκφήνω τὰ ἐμά, ἤγουν οὔποτε ὃ νοῶ περὶ τῶν παρόντων εἴπω, μήπως ἐκφήνω τὰ σὰ κακά, ἤγουν τὴν*

σὴν ἀνομίαν“ sic: „*ἐγὼ δ᾽οὐ μήποτε τὰ ἐμά, ὡς ἂν εἴπω, ἐκφήνω, μὴ τὰ σὰ ἐκφήνω κακά*“. — Brunckius: „*ἐγὼ δ᾽οὐ μήποτε τἄμ᾽ ἐξενείπω, μὴ τὰ σ᾽ἐκφήνω κακά·* sic ex indole linguae legendum est. vulgata lectione nihil mendosius: *τἄμ᾽ ὡς ἂν εἴπω.* ex his apud omnes constat nullum sensum elici posse, in quibus nulla quidem est legitimae constructionis forma. *οὐ μὴ* cum futuro indicativi vel aoristo 2. subiunctivi construitur. perspicuus est sensus: *σὺ μήποτε εἴπω τὰ ἐμά, ἤγουν τὴν ἐμὴν μαντείαν, ὡς ἂν μὴ ἐκφανήσω, ἤγουν φανερὰ ποιήσω τὰ σὰ κακά.* sic recte glossa (schol. recent.): unde non aliter scripsisse Tragicum liquet ac edidimus *οὐ μήποτε τἄμ᾽ ἐξενείπω.*“ Postea locum correxit sic: „*τἄμ᾽ ὡς ἂν εἴποιμ᾽, ἢ τὰ σ᾽ ἐκφανῶ κακά*“ et pro *σ᾽ ἐκφήνω* rursus, „*σὰ ᾽κφήνω.*“ — Musgravius scripsit „*τἄμ᾽ ὡς κάλ᾽ εἴπω.*“ — Schaefero placuit „*τἄμ᾽ εἰς σ᾽ ἀνείπω* contra te, quam mutationem Doederlinus in specimine nov. edit. tragoed. Sophocl., quod Erlangae A. MDCCCXIV. prodiit, unam putat nobis, ni fallamur animo et spe, Sophocleae manus restaurandae viam monstrare. exhibet enim, „*τἄμ᾽ ὡς σ᾽ ἀνείπω, μὴ τὰ σ᾽ ἐκφήνω κακά,*“ ut *ὡς* eandem vim habeat ac *πρὸς* vel *εἰς* Schaeferi. — Erfurdtius in editione majore ex coniectura Hermanni dederat, „*τἄμ᾽, ἴσθ᾽ἄν, εἴπω*“, et quod Erfurdtius ipse illic in adnotatione coniecerat, „*τἄμ᾽ ὡς ἂν εἴπω, καὶ τὰ σ᾽ ἐκφήνω κακά*“ probabat Elmsleius, cujus verba haec sunt: „Scholiasta et omnes codices cum Aldo consentiunt. Locum quem frustra solicitant interpretes, recte explicuit Erfurdtius. Abundat alterum *μή*, ut sensus sit: *ἐγὼ δὲ οὐ μήποτε ἐκφήνω* (id est *οὔποτε ἐμφανῶ*) *τὰ σὰ κακά, ὡς ἄν εἴπω τὰ ἐμὰ μαντεύματα.* geminatae negationis exempla collegit Hermannus ad Antig. 5. 6.“ — At idem Erfurdtius in editione minore interpunctionem sic mutavit: „*ἐγὼ δ᾽οὐ μήποτε τἄμ, ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σ᾽, ἐκφήνω κακά*. mihi vulgata retineri posse videtur, si iungas ad mentem scholiastae Romani: *ἐγὼ δ᾽οὐ μήποτε ἐκφήνω* (sive si Dawesiano canoni fides habenda, *ἐκφανῶ*) *τἀμὰ κακά*, i. e. malum meum vaticinium, *ὡς ἄν εἴπω μὴ τὰ σὰ κακὰ*, i. e. mala facinora tua“ [23]). — Graserus in specimine adversariorum in sermones Platonis p. 58. seqq. hoc dici putabat: „*οὐ μήποτε γενήσεται τἄμ᾽ ὡς ἂν εἴπω.*“ — Hermannus, cui in mentem venerat, „*ἐγὼ δ᾽ οὐ μήποτε τἄμ, ὡς ἂν εἰπὼν μὴ τὰ σ᾽ ἐκφήνω*

[23]) Num haec Scholiastae Romani mens fuerit, dubium certe est: *οὐκ ἐμφανῶ τὰ ἐμὰ ἔπη, ἵνα μὴ τὰ σὰ εἴπω κακά.*

κακά", iniuria Elmsleium vituperat: Elmsleius enim non illam Erfurdtii interpunctionem ex editione minore, quae est „ἐγὼ δ' οὐ μήποτε τἄμ', ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σ', ἐκφήνω κακά", in animo habuit, cum scripsit: „Locum, quem frustra . . . abundat alterum μή cett.", sed quam Erfurdtius in adnotatione editionis majoris proposuerat coniecturam, quae est: „τἄμ' ὡς ἂν εἴπω, καὶ τὰ σ' ἐκφήνω κακά." Dicit autem Hermannus haec: „At neque sic" sc. ut Elmsleius voluit, „abundare potest μή, neque hunc, qui minus aptus est, sensum esse voluit Erfurdtius, sed verissime sic distinxit: ἐγὼ δ' οὐ μήποτε τἄμ', ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σ', ἐκφήνω κακά. „Ego numquam mala mea vaticinia patefaciam, ut ne tua dicam mala facinora." Tantas turbas excitaverat Dawesianus ille canon constructionis harum vocularum οὐ μή" (v. Brunck.), „qui mihi, quod ratione caret, numquam verus visus, postea eversus est maxime ab Heindorfio ad Platon. Phaedon. p. 44. (66 B. ed. Steph.) et Elmsleio ad Oed. Col. 177." [24]).

Haec Erfurdtii et Hermanni interpunctio principatum postea obtinuit. Secuti eam sunt ceteri omnes interpretes, maxime recentiores, Wunderus et Schneidewinus, quorum ille haec iam scholiastam veterem recte interpretatum esse censuit, hic in tribus suis Oedipi Regis editionibus adsensus est, iam Guil. Dindorfius, alii, praeter unum A. Nauckium, qui in quartae editionis Schneidewinianae appendice sic conicit: „Die überlieferung suchte man durch folgende interpunction zu retten: ἐγὼ δ' οὐ μήποτε τἄμ', ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σ', ἐκφήνω κακά. Dagegen müsste sich das gesunde gefühl sträuben, auch wenn ὡς ἂν εἴπω möglich wäre. Um nicht etwas ganz sinnloses zu geben, habe ich τἄμ' ὡς ἂν in ἄνωγας (aus ἃ ἄνωγας) geändert."

Tot tantosque scopulos, ad quos non neminis interpretum male gubernata navis est adflicta, nos praetervecti altum petamus et ἐξ ὑπαρχῆς αὖθις αὖθ' ἡμεῖς φανοῦμεν.

Chorus vv. 276—279. affirmans se caedis insontem et interfectoris imperitum esse, vv. 284—286. suadet ut Tiresias arcessatur, cujus adventum Oedipus, missis antea vel duobus nunciis auctore Creonte, iamdiu desiderat. Chorum deinde commemorantem, nihil eorum, quae de Laio interfecto in hominum ore et sermone sint, ad inveniendum percussorem prodesse, orat Oedipus ut ne minima quidem necis necatorisve indicia taceat, sed

---

[24]) Haec postrema recte disputavit Hermannus: cfr. enim exempla aliquot, quibus Dawesianus ille canon destruitur. Oed. R. 870. Phil. 381. Ai. 560. O. C. 408. 1702.

nihil aliud insuper comperit nisi quod Creon antea iam nuntiaverat, Laium a latronibus vel potius a viatoribus quibusdam esse occisum. Tum denique accedit Tiresias. Rex vatem omni veneratione, quae sacerdoti et nuncio Apollinis debetur, rogat ut Lai interfectorem indicet, cum ab hoc indicio urbis salus pendeat. 300—315. Tiresias rei probe gnarus se futura cognoscere et accessisse queritur. Rem mirante Oedipo, Tiresias, mitte me, inquit, tum uterque sortem facilius feremus. Oedipus cur ille loqui recuset non intellegens, iniustum vocat, quod urbi auxilium i. e. indicium neget. 322 seqq. Tum Tiresias 324. *ὁρῶ γὰρ οὐδὲ σοὶ τὸ σὸν φώνημ' ἰὸν | πρὸς καιρόν· ὡς οὖν μηδ' ἐγὼ ταὐτὸν πάθω* „ne mihi quoque idem accidat[25]), abibo.“ Urget Oedipus: „ne per deos te avertas, cum omnes hi supplices oremus.“ At constanter recusat Tiresias. Post varias altercationes Oedipus constanti vatis silentio et verborum ambiguitate ad iram concitatus ei obicit, ipsum caedis esse socium, qua quidem Oedipi criminatione efficitur, ut vates insons, irritatus, benevolo erga regem animo hucusque silens aperiat, quem quaerat rex nefarium, ipsum regem esse. 358. 362.

Hic nexus loci est, ad quem quo pacto vv. 328. 329. sqq. accommodati sint nunc videamus. Queritur vv. 316—318. Tiresias rei gnarus omnino se accessisse, petit v. 320. ab Oedipo, ut se mittat, abiturus est v. 325. ne utrique ingrata et importuna dicat, et cum ter missionem precatus Oedipum non modo non obsequentem videat, sed vehementius etiam instantem, tum *πάντες γὰρ* inquit *οὐ φρονεῖτ'· ἐγὼ δ' οὐ μήποτε, τἄμ' ὡς ἂν εἴπω, μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά.* „vos omnes ignari estis. ego autem numquam, quaecunque umquam verba mea erunt, numquam tua mala patefaciam.“

Constanter recusat vates subirascens ne interfectorem indicet, ut uno ictu omnem quaestionem tamquam praecidat (vernacule nun und nimmermehr *οὐ μήποτε-μή*), et propriam vaticinantis naturam secutus quasi quandam ambignitatem verbis admiscet: *ἐγὼ δ' οὐ μήποτε, τἄμ' ὡς ἂν εἴπω, μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά* pro *ἐγὼ δ' οὐ μήποτε, τἄμ' ὡς ἂν εἴπω, μὴ τὸν κτανόντα ἐκφήνω.* Sed propter animi concitationem tantum abest ut

---

[25]) Hic plerisque interpretibus abruptae orationis signum poni aut certe intellegi placet sc. *σιγήσομαι.* At equidem ex versu 320. *ἄφες μ' ἐς οἴκους* et maxime ex sequ. versu 326. *μὴ φρονῶν γ' ἀποστραφῇς*, intellectum *ἀποστρέψομαι* malim: „ne mihi quoque idem accidat, me avertam, i. e. abibo.“

Oedipus eam ambiguitatem quamvis haud obscuris verbis ad se pertinentem, quae tamen elisione levatur, sentiat, ut Tiresiam in recusatione permanentem proditionis et urbis delendae consilii damnet. Hoc, Tiresias inquit, consilium meum non est: ego nec me nec te offensum velim. Ceterum nihilominus constanter recusat. Hanc ut Tiresiae constantiam exprimeret, veri dissimile esse non videtur Sophoclem ita scripsisse ut equidem exhibui: *ἐγὼ δ' οὐ μήποτε, | τἄμ' ὡς ἂν εἴπω, μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά*, ita ut verba quae sunt *οὐ μήποτε μὴ ἐκφήνω* inter se cohaereant repetita negatione et vocabulum q. e. *κακὰ* ad illud *κἄμ'* non referatur [26]). Tali modo distinguenti mihi cum Elmsleio convenit, illo tantum discrimine interposito ut dum Elmsleius alterum *μὴ* abundare vituperasse videtur, ego ipsam eam abundantiam hoc loco laudem adeo ut nihil supra. Jam ne Hermannus quidem quidquam me movet, qui nec sic abundare posse *μὴ* et hunc sensum minus aptum esse contendit, qua in re non incommode comparare mihi videor, quae Hermannum in quarto libro de particula *ἄν* c. 5. p. 188. dicere memini: „Sunt autem" inquit „duo modi, quibus repeti *ἄν* potest, unus, cum pluribus verbis interpositis ab eo verbo quicum conjungi debeat longius avulsum est, quam ut non videatur concinnitas orationis repetitionem requirere, alter qui est longe frequentissimus, cum in parte aliqua sententiae iteratur. Plane enim eadem huius particulae ratio est, quae est negationum." cett. Unde apertum est, secundum Hermannum Sophoclem sicuti v. 261. *κοινῶν τε παίδων κοίν' ἄν, εἰ κείνῳ γένος | μὴ 'δυστύχησεν, ἦν ἂν ἐκπεφυκότα* ob sententiam interpositam q. e. *εἰ κείνῳ κτἑ.* recte *ἄν* iteraverit, ita hoc loco, ubi et ipsa sententia interposita est *τἄμ' ὡς ἂν εἴπω*, non iniuria illud *μὴ* iterasse. Sed hoc parvum est momentum, maximum est illa recusandi constantia, in qua perseverasset Tiresias, nisi regis criminationibus ad occisoris indicium esset incitatus [27]). Sic igitur navi mea usus in portum et perfugium pervectus es, ubi versibus integris et sententiae et metro satisfactum est.

Nam ad illam distinctionem Erfurdtii, quam in plerasque editiones recentiores transiisse supra monui, si paullo attentius

---

[26]) cfr. Schol. vet. recent. Triclin.

[27]) Ad sententiam quod attinet „quaecunque mea verba erunt, utcunque mea dicam", codex Venetus, qui *τἄλλ' ὡς ἂν εἴπω* exhibet, et interpretationi et distinctioni meae suffragari videtur.

adverteris, *ἐγὼ δ᾽οὐ μήποτε | τἄμ᾽, ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σ᾽, ἐκφήνω κακά*, „ego numquam mala mea vaticinia patefaciam, ut ne tua dicam mala facinora," facile intelleges quamquam scholiastarum auctoritate aliqua ex parte fultam tamen eam non una laborare difficultate, ut Nauckio V. D. naturae eam reluctari censenti haud invitus adstipulaturus sis. Sed videamus primum metri rationem *τἄμ᾽, ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σ᾽, ἐκφήνω κακά*, quae quod pronomen possessivum q. e. *σὰ* eliditur apostropho, per se quidem nihil offensionis habet, sed quod ex interpretatione *τὰ ἐμὰ κακὰ* et *τὰ σὰ κακὰ* inter se opponuntur, unde fieri non potest, quin *σ᾽* pronuncietur, intolerabilis est atque odiosa. Accedit quod distinctione insequente res molestior fit, ut recte animadvertit Ellendtius lex. Soph. v. *σός*.[28]) Jam compara verba versus 325. quae sunt *ὡς μήδ᾽ ἐγὼ πάθω* sc. *ἀποτρέψομαι*. Quae tandem caussa Sophoclem movere potuerit, ut hic nudum *ὡς μή*, at tribus modo versibus interpositis, ubi sententiae conformatio plane eadem est: „*οὐκ ἐμφανῶ, ὡς ἂν μὴ εἴπω*", — *ὡς ἂν μὴ* cum particula q. e. *ἂν* consociatum, „ne damit nicht" significare vellet et utrumque coniunctivo iungeret? Variatio, inquies, delectat, sed periculum est ne tale auctoris delectamentum in ludibrium vertatur ac risum moveat. Conferas enim, ut quid intersit inter particulas *ὡς* et *ὡς ἂν* „ut" significantes cognoscas, Hermannum de particula *ἂν* l. II. c. XI.: „de particula *ἂν* cum coniunctivo in sententiis finalibus" pag. 119 seqq. et de Oed. R. v. 325. l. II. c. XII. pag. 127 init., ex quo intelleges, versum 329. particulam *ἄν* pariter aspernari ac. v. 325., utpote quae sententiae utriusque loci contraria sit. Quapropter auctor ego tibi sum, ut significationem q. e. „utcunque" amplectaris tamquam gratam atque acceptam, quam si acceperis et sententiae consules et inconstantiae ac mentis fere turbatae crimen effugies.[29]) Contemplare deinde sententiam, et postquam illa iuterpretamenta „vaticinia" et „facinora" miseris, hanc habebis: „ego numquam mea mala patefaciam, ut ne tua dicam mala." Sane oraculum est, quo obscurius a nemine nisi fallor

---

[28]) Adscripsit Ellendtius tria exempla, ubi *σὰ* apostropho eliditur insequente distinctione, Oed. R. 405. Phil. 339. El. 1491. Sed huius elisionis ratio alia est cum in universum tum maxime in duobus prioribus exemplis, siquidem pronomen cum sequente vocativo tamquam coalescit.

[29]) Ad *ὡς ἂν* „utcunque" cum coniunctivo consociatum cfr. haec exempla: Ai. 1369. 1117. Plat. conv. 181 A. Legg. IX, 881 D. Crat. 424. E. Xenoph. an. 7, 1, 6.

edi possit ex toto vatum ordine. At interpretis esse hic quispiam dixerit occulta aperire. Est concedo, at unum idemque vocabulum q. e. *κακὰ* quasi sine respiratione et „mala vaticinia“ et „mala facinora“ vertere non interpretis esse videtur, sed temerarii et audacis hominis. Totius denique loci nexum si consideraveris, Erfurdtii interpretationem ob eam caussam reiciendam esse concedes, quod illa recusandi constantia, quam in verbis inesse debere commemoravi, vel minus clare vel omnino non perspicitur.

Ceterum utcunque res se habet, postquam iterum atque iterum versus clara voce recitavi eorumque sonum captavi, numquam persuadere mihi potero, verba quae sunt *ἐγὼ δ' οὐ μήποτε | τἄμ' ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά* id quod Erfurdtius, Hermannus, alii voluerunt, significare: „ego numquam mala mea vaticinia patefaciam, ut ne tua dicam mala facinora.“ Quam interpretationem sicuti a meis auribus abhorret, ita ab aliarum aurium spero alienam fore approbatione.

794. *κἀγὼ 'πακούσας ταῦτα, τὴν Κορινθίαν,*
ἄστροις τὸ λοιπὸν ἐκμετρούμενος, χθόνα
ἔφευγον, ἔνθα μήποτ' ὀψοίμην κακῶν
χρησμῶν ὀνείδη τῶν ἐμῶν τελούμενα.

Ad ipsam interpretationem priusquam aggrediamur, pietatis quasi quodam officio fungemur et in densam illam ac densitate paene formidolosam silvam exemplorum, quae ab interpretibus verborum quae sunt *ἄστροις ἐκμετρεῖσθαι* explicandorum gratia incredibili cum diligentia undique arcessita et coacervata sunt, intrabimus, ut et illorum sollertiam admiremur et fructus ex tali doctrina capiamus cum alias tum hoc loco quam maximos. Itaque per aspera ad astra ut dicunt.

1. Eustath. ad Odyss. ε, pag. 1535, 58: *ὅτι δὲ οὐχ οἱ ποντοποροῦντες μόνον ἀλλὰ καὶ οἱ πεζῇ βαδίζοντες, πρὸς ἄστρα τοῦτο ἐποίουν, δηλοῖ καὶ Σοφοκλῆς· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἡ παροιμία τό, ἄστροις σημειοῦσθαι ὁδόν, ἤγουν μακρὰν ὁδὸν βαδίζειν καὶ ἐρήμην, ὡς ἀπὸ τῶν πλεόντων.* [30]) ex quo apparet Eustathium referre, astris ducibus non solum navigantes navigasse, sed etiam viatores migrasse. [31]) At quae sequuntur de

[30]) Versus Homeri sunt Od. ε, 270—277. — [31]) cfr. Diodor. Sic. II, 54. (166, 5.) ed. Wesseling. *δι' ὧν οἱ τὰς ὁδοιπορίας ποιούμενοι καθάπερ*

proverbio *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ κτλ.* Eustathius neque ad Homerum neque ad Sophoclem referri voluit, sed hac occasione data non incommode se usurum putavit, si illud proverbium, quod in mentem forte ei venit, tamquam diligens commentator adiceret. — 2. Suidas v. *ἀστρονομία· ἄστροις τεκμαίρεσθαι· ἐπὶ τῶν μακρὰν καὶ ἔρημον ὁδὸν πορευομένων, καὶ ἄστροις σημειουμένων τὰς θέσεις τῶν πατρίδων·* cum Eustathio convenit. Sed cur *σημειοῦνται τὰς θέσεις τῶν πατρίδων*? Scilicet ut itinere confecto in patriam redeant. At Oedipus Corinthum quam credebat patriam esse, numquam rediturus erat. Itaque nihil ad rem. — 3. Hesychius v. *ἄστροις σημειοῦσθαι. μακρὰν ὁδὸν καὶ ἐρήμην βαδίζειν. ἡ δὲ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν πλεόντων.* cfr. de Eustathii proverbio. — 4. Schol. ined. ad Synesii ep. 7. in Boissonad. anecd. II. pag. 238. not. (Paris. 1830. 8vo.): *τὸ ἄστροις σημαίνεσθοι παροιμία ἐστὶ τῶν μακρὰν ὁδὸν καὶ ἔρημον πορευομένων· οἱ γὰρ φεύγοντες ἀειφυγίαν τοῖς ἄστροις ἐσημειοῦντο τὴν ἑαυτῶν πατρίδα.* Vide Eustathium. ne hoc quidem in Oedipum cadit. Etenim quae caussa esse solet, cur qui sempiterni exsilii sunt condemnati, patriae situm ex astris colligant? Nempe patriae desiderium ac redeundi quamvis irrita voluntas. At Oedipo oraculum cogitanti Corinthus non desiderium, sed aversationem, non redeundi voluntatem, sed longius atque longius ab ea aufugiendi cupiditatem inicere debebat. Ideo quid ad rem? — 5. Schol. Triclin. ad Sophocl. Oed. R. 795. (ed. Vauvilliers. Paris. 1781. 4. tom. II.) *ἄστροις τό· παροιμία ἐστὶ τῶν μακρὰν ὁδὸν καὶ ἔρημον πορευομένων· οἱ γὰρ φεύγοντες ἀειφυγίαν] τοῖς ἄσιροις ἐσημειοῦντο τὴν ἑαυτῶν πατρίδα.* Vide 4. —

a. Suidas v. *χρῆν δὲ μή, τὸ λεγόμενον, ἄστροις τὰ καθ' ὑμᾶς σημαίνεσθαι* „non oportebat de rebus vestris ex astris ut vulgo dicitur coniecturam facere.“ Locus ex Synesii ep. 7. depromptus est monente Hemsterhusio ad Aristoph. Plut. p. 469. Quid tandem sibi vult illud *τὸ λεγόμενον* ad nostrum locum, quod idem valet atque Eustathii *παροιμία* et Hesychii *μεταφορά*? — b. Scholiasta ad Aeschyli Suppl. 396. in edition. Schütz. vol. IV. pag. 440. *ὕπαστρον δέ τοι μῆχαρ ὁρίζομαι γάμου δύσφρονος φυγῇ. τὴν δὲ τοῦ γάμου μηχανὴν ὁριοῦμαι τοῖς ἄστροις. ἀντὶ τοῦ μηχανήσομαι φεύγειν δι' ὁδοῦ μακρᾶς*

οἱ ἐν τοῖς πελάγεσι, πρὸς τὰς ἀπὸ τῶν ἄρκτων σημασίας τὴν διέξοδον ποιεῖν. Ovid. Trist. 4. Vergil. Aen. 5. Arat. phaenom.

γάμον. οἱ γὰρ μακρὰν ὁδὸν φεύγοντες δι' ἄστρων σημαίνεσθαι ἔλεγον. De longitudine itineris, quod Oedipus Delphis Thebas fecerat, non iniuria opinor disceptari possit. Ceterum conferas 4. et a. — c. Theophylact. epist. I. *ἐγώ τι κοινὸν ἔχειν πρὸς τὸν δῆμον δέχομαι. ὅσγε οὕτως αὐτὸν πέφρικα τὸν βριάρεον, ὥστε καὶ ἄστροις σημαίνεσθαι.* Toupius ita vertit: „qui istud monstrum ita horrui, ut quam longissime effugerim". Proverbialem hanc esse locutionem nemo non videt, neque minus — d. Aelian. hist. anim. 7, 48. *ἦκε δὲ οὖν ἐς τὴν Λιβύην καὶ τὰς μὲν πόλεις ἀπελίμπανε, καὶ τοῦτο δὴ τὸ λεγόμενον, ἄστροις αὐτὰς ἐσημαίνετο, προῄει δὲ ἐς τὴν ἔρημον.* Vide 2. et 4. — e. Aelian. hist. anim. 2, 7. *τὸν δὲ ἐλθόντα κατὰ πολλὴν τὴν εἰρήνην δειπνεῖν, εἶτα αὖθις ἐπισυρίζειν καὶ ἀπαλλάττεσθαι, τοὺς δὲ ἡμιόνους καὶ τὸ δεῖπνον τὸ ἐξ αὐτῶν σημαίνεσθαι τὸ ἐντεῦθεν τὸ τοῦ λόγου τοῦτο ἄστροις,* quae postrema Wesselingius ad Diod. Sic. 2, 54. necnon Toupius miro modo sic interpretati sunt: „basiliscum vero eo profectum nullo obstante mulorum corporibus vesci, deinde sibilo repetito in deserta quam longissime discedere". — f. Paroemiograph. Graec. ex Codd. Mss. ed. Thom. Gaisford, Oxon. 1836. 8. E cod. Bodleiano 197. pag. 19. *ἄστροις σημαίνεσθαι ἐπὶ τῶν ἐκ μακροῦ τι ὑπονοούντων. εἴρηται δὲ ἀπὸ τῶν πλοιζομένων.* Dic mihi sodes, quid e longinquo coniecerit Oedipus? — g. *Ἐκ τῆς ΔΙΟΓΕΝΙΑΝΟΥ συναγωγῆς* II, 66. (Gaisford p. 171.) *ἄστροις σημαίνεσθαι· ἐπὶ τῶν ἐκ μακροῦ τι ὑπονοούντων· ἀπὸ τῶν πλοιζομένων ἡ παραβολή.* — Quae duo postrema (f. et g.) quo referenda sint ut intellegamus, iuvabit fortasse Erasmi verba adposuisse, qui in Adagiorum chiliad., quae Aurel. Allobr. A. MDCVI prodierunt, sub „coniecturae" pag. 320. haec verba facit: „*ἄστροις σημειοῦσθαι*" inquit, „videntur ei, qui notulis quibusdam et coniecturis arte deprehensis rem alioquin pervestigatu difficilem inquirunt aut assequuntur. — „Postea deflexum est, ut stellas praenotare dicantur, qui quidpiam animadvertendum insigniunt. Cui diversum *ὀβελίζειν* i. e. veru praenotato quasi jugulare ac damnare. translatum ab Aristarcho" cett. cfr. pag. 1904. s. „diligentia" et Schott. ad Diogenian. l. l. — h. *ἄστροις σημαίνεσθαι.* vide 4. — i. Theodorus Hyrtac. ep. 78. in Boissonad. anecd. l. l. Lucitae Trapezuntio scribens, a quo nullas dudum acceperat litteras: *ἡμεῖς, ἐπειδάν τινες Τραπεζουντόθεν ἀφίκωνται, τρόπον τοῦτον ἡμέτερον πυνθανόμεθα, καὶ ὅ φασιν, ἄστρασιν, οὐ γράμμασι, τὰ καθ' ὑμᾶς σημαινόμεθα.* v. Suid. v. *χρῆν* (a.), quae verba in

nostrum locum nihil quadrare apparet: proverbium est. — Sequuntur duo loci, quibus ob siderum indicia nocturna navigatio diurnae praeferenda esse dicitur. Alter est — k. e. cod. Bodl. 741. Gaisford p. 90. *οὐ νυκτιπλοεῖς· ἐπὶ τῶν μὴ ἀκριβῶς τι ποιούντων. ἡ γὰρ νὺξ τῆς ἡμέρας ἀκριβεστέρα διὰ τὰς τῶν ἄστρων σημειώσεις.* alter est — l. e Zenobii epitom. V, 32. Gaisford p. 351. *οὐ νυκτιπλοεῖς· ἐπὶ τῶν μὴ ἀκριβῶς τι ποιούντων· ἡ γὰρ νὺξ ἀκριβεστέρα τῆς ἡμέρας τοῖς πελαγοδραμοῦσι διὰ τὰς τῶν ἄστρων σημειώσεις.*

α. Vetus scholiasta illa verba de temporis aut spatii ratione intellegi vult: *χρόνον τινὰ φησίν, ἐπεὶ πρὸς τοὺς ἀστέρας ἠρίθμουν τὸν χρόνον. ἢ οὕτως· ἐπὶ τὰ ἄστρα ἐπορευόμην· ἡ δὲ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν τὰ πελάγη μετρούντων, ὡς ἂν δι' ἄστρων τεκμαιρομένων τὸν πλοῦν.* At priora illa de tempore inepta sunt et vacant, quod Oedipus tot tantisque angustiis pressus tempus curasse nullo modo putandus est. Jam de translatione, quam *μεταφορὰν* dicere solemus, hic sermo esse non potest, siquidem aliunde scimus, nautas stellis usos esse ducibus in navigando pariter ac viatores in migrando. Itaque translationem si omnino concedimus, mutuam eam nominemus. Nam qui indagare studet uter primus stellis ducibus usus sit nauta an viator, frustra laborat et operam perdit. — *β.* Suidas v. *ἀστρονομία· ἄστροις τεκμαίρεσθαι* vide 2. — *γ.* Libanius I, p. 347. *τὴν δὲ ἐσχατιὰν καταλαβὼν καὶ τὴν ἐρημίαν ἀσπασάμενος, ἤμην ἐπ' ἐμαυτοῦ· τὴν ἐκκλησίαν καὶ τὸ βῆμα καὶ τοὺς ἐνταυθοῖ θορύβους ἄστροις, τοῦτο δὴ τὸ τοῦ λόγου, τὸ λοιπὸν τεκμαιρόμενος.* Proverbium factum est et iusta *μεταφορὰ* quam vocant. — *δ.* Arrian. de expedit. Alexandr. 3, 4. *σημεῖα οὐκ ἔστι κατὰ τὴν ὁδόν, οὔτε που ὄρος οὔτε δένδρον οὔτε γήλοφοι βέβαιοι ἀνεστηκότες, οἷστισιν οἱ ὁδῖται τεκμαίροιντο ἂν τὴν πορείαν, καθάπερ οἱ ναῦται τοῖς ἄστροις.* Unde intellegitur, viatores ex astris ut nautae iter non direxisse, sed si fieri potuit ex montibus arboribus collibus. — *ε.* Lucian. Icaromenipp. init. *εἶτα, ὦ 'γαθέ, καθάπερ οἱ Φοίνικες, ἄστροις ἐτεκμήρου τὴν ὁδόν.* Haec est translatio neque emolumento nobis. — *ζ.* Theodul. in Boissonad. anecd. 2, p. 238. *Κυναίγειρος δὲ οὐ πρὶν ἐτεθνήκει πρὶν ἀπώσατο σφᾶς καὶ τεθνεὼς αὖ ὥσπερ τισὶν ἄστροις τεκμαίρεσθαι τοῦ λοιποῦ τὰς Ἀθήνας, ὡς λόγος, παρεσκεύασε τούτους.* Item proverbialis locutio. — *η.* Joannes Gabras in Boisson. anecd. l. c. not., homilia inedita in Mariae praesentationem (cod. 3010, pag. 308.), de summo Judaeorum

pontifice, cui semel tantum unoquoque anno Sancta Sanctorum ingredi licebat: *τὸ ἀπ' ἐκείνου τῶν πολλῶν οὐδὲν διέφερεν, ὡς λόγος, ἄστροις τὰ ἐκεῖ* (interiores scilicet tabernaculi partes) *καὶ οὗτος τεκμαιρόμενος.* Translatum et proverbium factum est. — A. Scholiastes recens, qui Brunckio antiquus nominatur paraphrastes, haec dicit: *κἀγὼ ἀκούσας ταῦτα τὴν Κορινθίαν γῆν κατὰ τὸ ἐπίλοιπον δι' ἄστρων μετρούμενος, ἤγουν μακρόθεν βλέπων καὶ δι' ἄστρων συμβάλλων αὐτήν, ἀπεδήμουν ἐκεῖσε δηλονότι.* Quam scholiastae sententiam Musgravius spectasse videtur, qui ad verbum fere, nihilo tamen minus paullo obscurius sic vertit: „proverbium" inquit „de eis dictum, qui regionem aliquam praesentem oculis non contemplantur" i. e. si recte intellego *μακρόθεν βλέποντες*, „sed situm eius ex astrorum inspectione colligere satis habent." Aliter enim intellegere et ita quidem, ut verba q. s. „praesentem oculis non contemplantur" idem valeant atque hoc: „quamquam contemplari eam possunt, tamen non contemplantur, sed" cett., iam interpretari ita, ut Oedipum quamquam terram Corinthiam contemplari potuerit, tamen eam contemplatum non esse credamus, sed situm eius ex astris colligere satis habuisse absurdum est. Ceterum vide Eustath. (1.) Suid. (2.) schol. inedit. (Triclin.) (4.). — Hactenus de Graecorum exemplis. Romanorum exempla conferre nos iubent interpretes haec: Vergil. Aen. 5, 25. „Si modo rite memor servata remetior astra." — Flor. 3, 5. de Pompeio. „At in septemtrionem Scythicum iter tamquam in mari stellas secutus Colchos cecidit." — Curtius 7, 4, 28. „Itaque qui transeunt campos navigantium modo noctu sidera observant, ad quorum cursum iter dirigunt." — Valer. Flacc. 7, 478. Medea: „quando hinc aberis, dic, quaeso profundi quod coeli spectabo latus."

Quorum ut suo quodque loco rectissime se habet, sic nostro loco supervacaneum est atque inutile, utpote quae ad intellegendos et explicandos versus nihil valeant.

Pervenimus ad finem. Agite dum et qua debetis veneratione admiremini assiduitatem illam atque industriam, qua maior cogitari non potest, iam vero illam praedicetis perspicuitatem, qua factum est ut locus noster sole luna astris clarius splendeat. Eia. quid statis? Nolitis, immo rideatis. Quos ego! Tunc demum homo quidam ceteroquin non ita disertus ac doctus prodiit et verba fecit hunc in modum: Prorsus nescimus, inquit, quid utilitatis ex vasta illa exemplorum coacervatione capturi

simus, siquidem tantum abest ut tantus ille tot siderum fulgor quidquam ad Oedipi verba illustranda valeat, ut oculos praestringat prohibeatque, quominus primo statim adspectu cognoscamus, ut merces mercatores extrudunt sic interpretes ostentare voluisse doctrinam. Ac primum quidem permirum est quod in tanta exemplorum turba verba Sophoclea q. s. *ἄστροις ἐκμετρεῖσθαι* nusquam occurrunt (schol. recens: *δι' ἄστρων μετρεῖσθαι*), cum in unum omnia aut *ἄστροις σημειοῦσθαι* aut *ἄστροις* (*δι' ἄστρων*) *σημαίνεσθαι* aut denique *ἄστροις* (*δι' ἄστρων*) *τεκμαίρεσθαι* exhibeant, unde Nauckio viro ad coniciendum paratissimo suspicio venit illud *ἐκμετρούμενος* in *τεκμαιρούμενος* mutandi quamvis invita sententia, qua de re infra plura dicenda erunt. Deinde omnibus interpretibus persuasum fuisse videtur, Eustathio auctore ac tamquam imperatore, Sophocli versus 795. 796. scribenti ante oculos obversatum esse proverbium: „*ἄστροις ἐκμετρεῖσθαι ἤγουν μακρὰν ὁδὸν βαδίζειν καὶ ἐρήμην*," nec verba quae sunt *ἄστροις τὸ λοιπὸν ἐκμετρούμενος* proprie, sed proverbialiter vel metaphorice ut dicunt accipienda esse. Quam inepte ei iudicarint quamque perverse Eustathii verba interpretati sint quivis concedet, qui quid proverbium sit et translatio cognoverit. Quid? ubi tandem ulla proverbii significatio in nostris versibus inest, ubi ullum translationis indicium, quale in plerisque quae enumeravi exemplis est *τὸ λεγόμενον* vel *ἔλεγον* vel *τὸ τοῦ λόγου τοῦτο* vel si quid simile? Ut exemplo utar, num faber, qui tirones fabricam ferream docens primam hanc legem constituit, ferrum, inquit, tundendum est dum calet, dixisse ut in proverbio vel translatione est existimandus erit? Quam qui translationem habet, caveto ne in eundem cum eis errorem incidat, qui Horatii carmen XIV libri primi, cuius initium est: „O navis, referent in mare te novi fluctus" allegoriam quam dicunt putare non dubitant, quamquam et illa v. 11. „quamvis Pontica pinus" et v. 20. „vites aequora Cycladas" huic opinioni refragantur nescio quantum. Ne multa: illam exemplorum turbam si quis excitasset, ut voces quae sunt *ἄστροις σημειοῦσθαι* vel *σημαίνεσθαι* vel *τεκμαίρεσθαι* in proverbii et translationis consuetudinem venisse demonstraret, dignissimus esset quem omnes laudaremus et imitaremur ob accurationem in depromendis undiqne exemplis: sin quis ad nostros versus adhibendam eam esse censet, nec Sophoclem neque Eustathium satis intellexit. Furtum est tamquam hereditate per secula traditum.

Sic igitur exemplorum postquam iacturam fecimus, videamus num e verbis aperte et nude a Sophocle positis ea sententia erui possit, quae ad totum locum accommodata sit. Itaque progrediamur ad ipsam interpretationem. Narrat Oedipus Iocastae, se matre et patre insciis Delphos migrasse, ut Apollinem de origine consuleret, deum autem non respondisse ad ea, de quibus consultum eum venisset, sed alia monstra ac prodigia edidisse: matrem enim se in matrimonium ducturum et patris occisorem fore. Tum pergit *κἀγὼ ᾽πακούσας ταῦτα, τὴν Κορινθίαν | ἄστροις τὸ λοιπὸν ἐκμετρούμενος χθόνα | ἔφευγον, ἔνθα μήποτ᾽ ὀψοίμην κακῶν | χρησμῶν ὀνείδη τῶν ἐμῶν τελούμενα.* Quaeritur quid Oedipus ex astris sibi emensus sit, i. e. quomodo distinguendum sit? — Brunckius iuxta Suidae in *ἀστρονομία* et Scholiastae recentis expositiones haud male se distinxisse et vertisse censet *τὴν Κορινθίαν | ἄστροις τὸ λοιπὸν ἐκμετρούμενος χθόνα, | ἔφευγον κτἑ.* ex quo apparet Oedipum Corinthiam terram ex astris sibi emensum esse ita, ut si Musgravium et Suidae et Scholiastae recentis interpretem sequimur, Corinthum praesentem oculis non contemplaretur, sed situm eius ex astrorum inspectione colligere satis haberet. At conferas ea quae ad 2. et 4. adnotavimus, quibus comparatis Brunckii distinctionem non ita veri similem te habiturum spero, nisi forte credas, Oedipum patriae situm ex astrorum inspectione collegisse eo consilio, ut iusto semper interiecto spatio ab illa abesset! — Iam Hermannus et *ἔφευγον* et *ἐκμετρούμενος* ad *τὴν Κορινθίαν χθόνα* referri dicit, sic: *τὴν Κορινθίαν | ἄστροις τὸ λοιπὸν ἐκμετρούμενος χθόνα | ἔφευγον*, neque aliter sentiunt Schneidewinus, Dindorfius, Wunderus. Unde apertum est Hermannum putavisse Oedipum Delphis Corinthum rediisse et Corintho demum fugae se mandasse. At unde hoc quasi oraculum depromptum est, de quo quidem Sophocles altissimum tenet silentium? — Nauckium verbum q. e. *ἐκμετρούμενος* in *τεκμαρούμενος* mutasse supra commemoravi. Idem et post *Κορινθίαν* et post *τεκμαρούμενος* virgulas posuit, nescio an Ellendtium secutus sit, qui *ἐκμετρούμενος* aut absolute poni aut *φυγὴν* ex *ἔφευγον* subaudiendum esse ratus et ipse *τὴν Κορινθίαν χθόνα* ad *ἔφευγον* tantum refert. Verumtamen contra libros mss. coniecturas facere, praesertim cum apta librorum sententia corrumpatur eis ac depravetur, absurdum est. Considera enim paullo attentius illud *ἄστροις τεκμαρούμενος*, Corinthiam terram fugi ex astris collecturus. Quid? num aliquamdiu fugit sine astrorum inspectione?

quando tandem quaeso illud colligendi momentum apparuerit? At fugit Oedipus nec collecturus nec colligere volens, sed fugit colligens i. e. fugit et in fugiendo collegit.

Quae cum ita sint censeo equidem in interpretandis his versibus id maxime spectandum esse, ut Oedipum dei oraculo accepto statim Delphis in fugam se coniecisse nec de reditu Corinthum ullo modo cogitasse facile cognoscamus. Quamobrem postquam satis superque nisi fallor perspeximus, quantulum totius loci nexui conveniret, si Corinthiam terram, quaecunque emetiendi causa fuit, ex astris emetientem Oedipum faceremus, unde quid emolumenti salutisve fugienti ei venturum sit intellegi non potest, eam instituamus distinctionem et interpretationem, ut verba quae sunt *ἄστροις τὸ λοιπὸν ἐκμετρούμενος* non ad *τὴν Κορινθίαν χθόνα*, sed ad unum solum iter, quod Oedipo post Desphos relictos ingrediendum erat, referamus sic: *τὴν Κορινθίαν, | ἄστροις τὸ λοιπὸν ἐκμετρούμενος, χθόνα | ἔφευγον, ἔνθα μήποτ' ὀψοίμην κτἑ.* Fuit qui hanc distinctionem invenit Heathius dignissimus in quo paullisper commoremur. Vertit hoc modo: „Et ego his auditis Corinthiam terram exsul dereliqui, astris in posterum cursum dirigens", ut ad *ἐκμετρούμενος* simul audiendum sit *ὁδόν*, quam vocem alii scriptores, qui proverbiali locutione usi sunt, exprimunt: Eustath. *ἄστροις σημειοῦσθαι ὁδόν.* Lucian. *ἄστροις τεκμαίρεσθαι τὴν ὁδόν.* Schol. vet. *δι' ἄστρων τεκμαίρεσθαι τὸν πλοῦν.* Arrian. *τεκμαίρεσθαι τὴν πορείαν.* Sed de proverbiali hac locutione nostro loco sermonem esse negavimus et omnino supervacaneum censemus ullum vocabulum intellegere, quandoquidem vox illa *τὸ λοιπόν*, modo aliter magisque proprie verteris, accusativus sive obiectum ad illud *ἐκμετρούμενος* est, quo aptior non potest cogitari: „Et ego his auditis Corinthiam terram fugi, ex astris mihi emetiens *τὸ λοιπόν*, quod reliquum erat, supererat, sc. faciendum, i. e. fugam.[32])" — Sic quaerenti et quomodo dis-

[32]) Ellendtius non esse censet negligendum, ut *τὸ λοιπὸν* Sophocli, ita *σημαίνεσθαι τὸ ἐντεῦθεν* (Aelian. hist. anim. 2, 7) dici vertitque, „quod reliquum erat i. e. postea." At non multum interest: etenim si pro *τὸ λοιπὸν* scripsisset Sophocles *τὸ ἐντεῦθεν*, eadem esset sententia: „ex astris mihi emetiens id inde a Delphis, i. e. fugam vel viam inde a Delphis ingrediendam", aut si de tempore illud *τὸ ἐντεῦθεν*, ut fieri sane potest, intellegi mavis „post Delphos relictos."

De significatione vocis q. e. *τὸ λοιπὸν* consule Henr. Stephan. thes. l. G. v. *λοιπός.*

tinguendum sit et quid Oedipus ex astris sibi emensus sit responsum est.

Restat ut sequentia verba quae sunt ἔνθα μήποτ' ὀψοίμην commemorem non intellecto ἐκεῖσε (schol. recent.) continuari illi ἔφευγον, sed hoc modo: „Corinthiam terram fugi, ubi numquam, id est: ne ibi umquam viderem turpem malorum culorumora meorum exitum."

VITA.

Natus sum Arnoldus Henning Gedani a. d. VIII. Calendas Martias a. MDCCCXXXVIII. patre Richardo Adolpho Henning magistro, matre Amalia e gente Ewert, quibus adhuc vivis laetor. Fidem profiteor evangelicam. Inde ab anno sexto in patris schola litterarum elementis institutus anno vitae nono in numero discipulorum Gymnasii Gedanensis directore Frid. Guil. Engelhardt viro Ill. per novem annos versatus sum. Deinde a. h. s. LVI. Halas me contuli ibique rectore magnifico Bruns, philosophorum ordinis decano spectatissimo Rosenberger inter cives academicos receptus per unum annum scholis interfui horum virorum Ill.: Bernhardy, Ross, Pott, Schaller, Hertzberg. Tum Berolinum profectus ibique civibus academicis adscriptus rectore magnifico Rudorff, decano spectatissimo Kummer, scholis per biennium interfui horum virorum Ill.: Boeckh, Haupt, Trendelenburg, George, Hirsch. Sodalis fui ordinarius seminarii philologici directore Boeckhio per IV. semestria. Maximas gratias hoc loco agere liceat his viris Ill. omnibus, quorum summam erga me benignitatem et singularem benevolentiam pergrata memoria semper prosequar.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 058 399 1

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Horat. Carm. I, 14. *non est allegoria.*

II.

Horat. Art. Poet. v. 120. *recte se habet honoratum.*

III.

Thucydides aequissimus ceteroquin et hominum et rerum iudex, de Cleone non sine ira et studio iudicasse videtur.

IV.

Soph. Oed. R. 18. *ex Bentlei emendatione* ἱερεὺς ἐγὼ μὲν Ζηνὸς *scribendum est.*

V.

Soph. Oed. R. v. 221. *sic exhibendum esse censeo:* ἴχνευον αὐτό, μὴ οὐκ ἔχων τι σύμβολον.